SPECIMEN MEDICUM INAUGURALE,

DE

INTESTINIS CRASSIS *MULTORUM MALORUM* CAUSSA ET SEDE,

QUOD,

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOANNIS ESGERS,

S.S. THEOLOGIÆ DOCTORIS, EJUSDEMQUE FACULTATIS UT ET ANTIQUITATUM HEBRAICARUM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu,*

& Nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis, rite ac legitime conſequendis,

Eruditorum examini ſubmittit

DAVID VAN ROYEN, LUGD. BAT.

Ad diem XXIV. *Auguſti* MDCCLII. *horâ decimâ loco ſolito.*

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud { SAMUELEM LUCHTMANS, ET FILIOS, ET ELIAM LUZAC, JUN.

MDCCLII.

PATRI OPTIMO

DAVIDI VAN ROYEN

VENERANDO AVO

JOHANNI VAN DEN BERGH

HAS

STUDIORUM SUORUM

PRIMITIAS

SEQUE

QUA DECET PIETATE

D. D. D.

DAVID VAN ROYEN

CIϽIϽCCLII

SPECIMEN MEDICUM INAUGURALE

DE

INTESTINIS CRASSIS

MULTORUM MALORUM CAUSSA ET SEDE.

CAPUT PRIMUM

Siſtens
Breviſſimam Inteſtinorum Craſſorum Hiſtoriam Anatomicam & Phyſiologicam.

PRIMARUM VIARUM titulo venit longiſſimus ille tractus, qui ab ore introrſum tendit ad anum. Dividitur ille ab Anatomicis in Os internum, Fauces, Pharyngem, Oeſophagum, Ventriculum, Inteſtina cùm Tenuia; Duodenum, Jejunum, Ileum: tùm Craſſa; Cœcum, Colon, Rectum.

Craſſa ſubjectum ſunt, de quo prædicamus, quod *multorum malorum cauſſa & ſedes ſint:* Horum igitur brevem præmittimus deſcriptionem.

Inteſtina ſunt canalis, membranaceus, teres, fere Cylindraceus, o-

omnium in C. H. capaciſſimus, prælongus, continuo ductu tendens ab Oſtio ventriculi dextro, mirabili artificio in multos gyros, convolutiones, flexuras actus, ad Anum.

Hujus canalis portio longior & prior conſtituit Tenuia; Brevior & poſterior Craſſa Inteſtina; non quidem ita ratione ſubſtantiæ tunicarum dicta, ſed voluminis. Diſtinctius hinc forte *Tenuia* vocarentur anguſta, minora, æquabilia; *Craſſa* vero, ampla, capacia, majora, corrugata &c. Sed verba valent uſu.

Abdominis mollis mediam partem ſub & circum umbilicum occupant Tenuia; hæc circumvallant Craſſa.

Craſſorum prima pars vocatur *Cœcum*; Quod an Vermicularis ſit Proceſſus, an quod aliis Craſſorum vel Coli Caput vocatur, diſputatum fuit olim ſat acriter, ut notet *Veſalius*, hic „ ad nugacem „ illam tergiverſationem deventum fere fuiſſe, quâ, alios quan„ doque quam modò homines fuiſſe, faterentur" vid. *L.* v. *C.* 5. qui legendus ſuper hac lite: ſed veniam dabis, B. L., ſi tempori cedam, &, quamquam

Mens aliud ſuadet, video meliora, proboque,
Deteriora ſequar;

acquieſcens denominationi hodiè magis receptæ ab Anatomicis & Practicis; ſic Cœcum mihi erit Caput Craſſorum.

Cœcum itaque locatur in Regione Iliacâ dextrâ, Oſſi inſidens & Muſculo, hinc Iliacis dictis: ſaccum format ſive globum capacem infra Tenuis Inteſtini inſertionem; ſupra quam & elevatur; quo enim in loco arctior conſpicitur hic tractus, determinant Anatomici principium Coli, ibi ſimpliciter Colon arctius continuatur ampliori Cœco.

Notanda præbet Cœcum 1. *Inſertionem Ilei*, 2. *Proceſſum Vermiformem*, 3. *Exortum trium Ligamentorum Coli.*

1. Cœcum longius ab alligato Meſenterio, & Ligamento Coli, brevioribus, incurvatur, plicatur; ſic naſcuntur ad altitudinem quandam à fundo Cœci, labia duo introrſum ſpectantia, rimam transverſam determinatæ longitudinis inter ſe relinquentia: cum Meſenterio accedit Extremum Ilei, inferius (ut plurimum) ad angulum acutum, ſuperiùs ad obtuſum; nectitur mòx undique Celluloſâ; inde ductum plicæ Cœci ſecuturum Ileum complanatur, pergit, donec ad oram rimæ extimam verâ continuatione confluant ejuſdem naturæ tunicæ Ilei & Cœci: ſive *Tenue Craſſo conti-*

nua-

nuatur Inteſtino. Utrimque ab angulis Rimæ excurrens plica conſtituit *Frena* ſeu *Retinacula Morgagni: adverſ.* 3. *Fig.* 2. Hæc ſtructura abſolvit in genere *Valvulam Coli*, *Bauhini*, vel *Tulpii*, de qua tot lites, tantùm ex pravâ adminiſtratione Anatomicâ oriundæ. Hæc regreſſum, etiam in cadavere, verſus Ileum impedit, ſi, (ut ita dicam) ſana ſit, ſi morboſa, vix levi reſiſtit Coli inflationi, ut in Aſcitico ſemel, pluries in Rachiticis obſervavi pueris.

2. *Proceſſus Vermiformis*, *Cœcum Veſalii* &c. eſt Canalis teres, variè recurvus, craſſitiei turgidioris lumbrici, altero extremo patens ad fundum Cœci, altero clauſus: plura de eo vid. apud HALLER. *prim. Lin. Phyſiol.* §. 730. & in peculiari diſſertatione, quæ exſtat in collectione HALLERIANA. Intus lubrica eſt ſuperficies & mucoſa, raro in adultioribus fœces excipit, morboſe tamen vide *Act. Med. Phyſ. vol.* 9. *Obſ.* 58. Oſtiolum ejus Clauſum vidi ſemel iterumque; Confer. MORGAGN. *adverſ.* 3. *Anim.* 14.

3. *Ligamenta Coli*: ſic vocantur tres Faſciculi Fibroſi orti circa inſertionem Proceſſus Vermicularis, vid. MORGAGN. *Adverſ.* 3. *Fig.* 3. inde ad Rectum usque protenſi; à ſe mutuo ad unam tertiam partem ambitus Inteſtini fere remoti, confluunt ad Rectum: reliquis Coli membranis breviores, ad unam tamen alteramque firmati, cogunt Tubum longiorem in rugas, corrugatum, pro ſuâ longitudine, ſuſtinent; hinc intus valvulæ, cellulæque: diſciſſis vero his fibris, Colon redditur æquabile & longius.

Alterum Craſſorum *Colon* eſt, Cœco arctius, ſurſum proſerpit, conſcendit ſuperatque Renem dextrum, ibi ligatur, ut & in Hypochondrio ejusdem lateris: ad Hepar *flectitur primo*, utplurimum ſimpliciter, flexum maculâ notatur flavâ a bile, ſub Ventriculi fundo, ante Duodenum, ex transverſo Corporis ad Hypochondrium tendit ſiniſtrum, iterum ligatur, Lienem attingit & Ventriculum, liberius ſe in ampliori hoc ſpatio effundit, *flectitur ſecundò*, non adeo ſimpliciter, quin potius gyrum abſolvat notabilem; quo facto ſe occultans ſub Tenuibus descendit, Renem ſiniſtrum transgreditur, tendit ad Ileum ſiniſtrum, quibus ex locis iterum ſuſpenditur: Hæc a Liene ſe dimittens Coli portio conſtanter ad Ileum in C. H. obſervatur reliquo tractu anguſtior, ut primus notavit Bauhinus, vid. RIVER. *prax. Med. l.* x. *c.* 1. poſt Eum Alii BARTHOL. *Anat. p. m.* 91. VERHEYEN. *Anat. T.* 1. *p.* 59. &c. Non omnes tamen Anatomici hujus anguſtiæ mentio-

tionem fecêre, licet notatu digniſſimæ, ad explicandos varios in hoc tractu affectus, ut poſtea viſuri ſumus. In Ileo ſiniſtro capax Colon *flectitur tertiò*, emergens ex Tenuibus iterùm altiora petit dextrorſùm, donec *flectatur Ultimò*, (qui duo Flexus poſtremi cum tractu intermedio conſtituunt *Coli Flexum Sigmoïdëum*) applicetque ſe Corporibus Vertebrarum Lumbarium inferiorum, unde rectà tendit ad Pelvim:

Ibi nomen mutat, & licet arcuato modo deſcendat (pone Veſicam vel Uterum) ductum ſequens incurvum Sacri Oſſis & Coccygis, *Rectum* tamen dicitur: Quod intus Columnas habet longitudinales, quarum baſes prope anum, ſæpe pelliculâ, valvulæ ſpecie, junguntur: vid. MORGAGN. *adverſ.* 3. *anim.* 6. Æquabile extus eſt, bonâ ſui parte extra abdominis Cavum in molli jacet pinguedine, Extremum, muſculis circumdatum, amplo patet orificio, ſphinctere clauſo, quod *Anus* eſt.

Ad hæc deſcripta Inteſtina accedunt

1. *Meſocolon*; *Peritonæum*, (ſic ait Cel. HALLER. *prim. Lin. Phyſiol.* C. 25.) *inde* (a ſede Lienis) *& a Rene ſiniſtro*, *& ab utriusque intervallo*, *magnisque vaſis*, *& a Rene dextro*, *emergit antrorſum*, *ſub Pancreate*, *& continuum producit latum*, *ſatisque longum Meſocolon transverſum.* &c. Confer hanc deſcriptionem cum *fig.* 2. *Tab.* XI. EUSTACH. In genere conſtat duplicaturâ Peritonæi, adipem & glandulas locante, Vaſa diverſi generis ad- & re- vehente:

2. *Proceſſus Vermicularis*, qui hic Ductus Excretorii munere fungitur, glandulas habet Peyërianas, & Vascula exhalantia:

3. *Vaſa Arterioſa*; nempe *Arteria Meſocolica*, ſive *Meſenterica inferior* tota fere Craſſis dicata eſt Inteſtinis; Ramum quoque accipit ab Arteria ejusdem nominis ſuperiore, vid. EUSTACH. T. XXVII. fig. 2. C. fig. 4. w. w. A Meſocolica ramus tendit ad Recti partem ſuperiorem, eſtque *Hæmorrhoïdalis interna Arteria:* Ramos quoque ad partes in pelvi ſitas mittit *Arteria Hypogaſtrica*, qui inde ad Recti finem & Anum veniunt, conſtituunt *Hæmorrhoïdales externas Arterias.*

4. *Nervi.* Trunci Anteriores Intercoſtalium, in Abdomine ad Arteriam Cœliacam, formant Ganglia bina, Semilunaria dicta; hæc nervos emittunt, ex quibus formatur Plexus Solaris, ad quem etiam rami Paris Vagi accedunt; ex hoc plexu maximo rami vel trun-

trunculi exeuntes ductum ſequuntur Aörtæ, datisque Plexibus Meſenterico ſuperiori, & Renalibus, prope arterias ejusdem nominis, perveniunt quoque ad Arteriam Meſocolicam, ibi frequens nervulorum turba *Plexum Meſocolicum, vel Meſentericum Inferiorem*, conſtituunt; qui comitatur Arteriam ad Craſſa usque, ubi nervuli ſe per hunc tractum diſpergunt; ramuli etiam ex Plexu Meſenterico ſuperiore huc appellunt: In pelvi tandem nervi, itidem ex plexu ſolari dimiſſi, formant *Plexum Hypogaſtricum*, ex quo nervos accipit Coli extremum, Rectum, Veſica, Genitalia:

5. Porro tribuuntur Colo, quia Omento non tegitur, *Appendiculæ Pingues*, in lubricandis Inteſtinis uſum habentes. Vid. MORGAGN. adv. 3. anim. 6.

Ab Inteſtinis recedunt

1. *Venæ:* quæ ſunt rami (Anatomicè loquendo) Venæ Portarum: Vena hæc Abdominalis dividitur præcipuè in tres ramos, quorum *Meſeraïca Minor* vel *Meſocolica* proprie hujus loci eſt; vocatur & hæc *Hæmorrhoïdalis*, ſi nempe directiùs ad Rectum tendat, emittatque lateraliter *Meſocolicam*, cujus propago cæterùm *Hæmorrhoïdalis* ſolet eſſe: Quidquid ſit, fiunt hæ Venæ comites arteriis ejusdem nominis, modò deſcriptis, ſubeunt Craſſa: ad quæ etiam Rami Colici Magnæ Meſeraicæ pertinent: vid. EUST. l. c. Tab. XXVII. Sic etiam conſtat de *Vena Hæmorrhoïdali Interna* ad Recti ſuperiora ſpectans: *Externa Hæmorrhoïdalis* ad finem Recti & Anum, propago eſt *Hypogaſtricæ Venæ*, rami Venæ Cavæ.

2. *Vaſa Lactea:* Ipſi hæc, ex Craſſis orta, pluries vidimus in Canibus vivis, ante diſſectionem bene paſtis; ex Corporibus Humanis exempla profert HALLER. ad præl. BOERH. T. I. p. 485. Not. 5.

Nunc Inteſtinorum Interiora rimemur cum Phyſiologis. Conſtant Craſſa, uti Ventriculus & Tenuia *Quatuor Membranis*.

1. *Externa*, ſive *Communis* proprie eſt Meſocolon, Inteſtina ambiens; Ea in ſitu ſervat, nectitque ope productionum vicinis, terminum ponit dilatabilitatis.

2. *Muſcularis*, duplici fibrarum gaudet ſerie, *Orbicularium*, ambientium Inteſtina, interrupte ſpiralium: Hæ ſucceſſivo motu ſe contrahentes contenta verſus extremum determinant, qui motus *Periſtalticus* dicitur, adjutæ à *Longitudinalibus*, quæ attollendo partem inferiùs poſitam ad ſuperiorem agunt: Hæ formant

Tria illa *Ligamenta Coli*, jam deſcripta, & circùm Rectum vaginam muſculoſam. EUSTACH. Tab. x.

3. *Nervea* ſive *Celluloſa*, corpus fere Inteſtini conſtituit, vaſorum contextum locat, & baſes lenticularium ſolitarium glandularum, ex oſtiis, intra Inteſtinum hiantibus, ſalivæ quodammodo analogum humorem, vias lubricantem, eructantium; Numeroſæ ſunt hæ glandulæ in Recto: Vid. PEYER. parerg. I. Hæc Nervea cum ſequenti internâ conſtituit valvulas, in cavo Inteſtini pendulas.

4. *Interna*, *villoſa*, valde tenera, vere tamen membranacea; hic ut in Tenuibus vaſculorum ſanguineorum lacteorumque extrema & nervuli in villos colliguntur, licet minores, ſuccum plorantes, pariterque abſorbentes.

Quid? ſi nunc vellem, ut dicendi ordo exigeret, recenſitorum Vaſorum ſubtiliorem contextum, & diſcurſum deſcribere; nonne poſt Homerum Iliada canerem? Egregie enim, ſicut Ejus mos eſt, *de Arteriis & Venis Inteſtinorum* diſſeruit *Celeb.* ALBINUS: Eò igitur, quum

Purius ex ipſo fonte bibantur aquæ,

Lectores relego.

Sequitur tandem *Craſſorum Actio*.

1. *Accipiunt* id, quod præviam Ventriculi & Inteſtinorum actionem paſſum eſt; quod itaque impurum magis, fœculentum, terreſtre, difficilius diſſolubile erat, cum bile jam degenere, muco &c.

2. *Retinent Accepta*; propter *Structuram*, intus enim valvulæ prominent, depreſſæque hiant cellulæ: Ob *Decurſum* anfractuoſum; tum quoque ratione *Virium*, quas exſerunt; In vivis quippe parum cavi relinquunt Inteſtina, ſed turgent omnia, & duritiem habent, quam Tonum vocant Medici: dilatationem tamen admittunt: fit porro *Reſorbtio* liquidi; & *Uterque fidus cuſtos*, hic regurgitationem, ille egreſſum involuntarium impedit: dum igitur Accepta ex Ileo non protinus iter ſuum continuant, ſed aliquamdiu morantur; anſa præbetur

3. *Mutationi*, quæ quidem hic conſiſtere videtur in *ſolutione & ſeparatione:* ſcilicet, Materies, per ſe vergens in putredinem, hic in loco calido, humido, & à quo Aëris acceſſus non arcetur, deponitur, ſtagnat; putredo itaque in actum deducitur, quâ mate-

te-

teries emollitur, diſſolvitur, attenuatur. Sic quoque utile extricatur, fit dilutio per alluentes humores; motu Inteſtinorum & Reſpiratorio fit Emulſionis ſpecies; & diſtributio illius materiæ per amplam ſuperficiem: ſuccedit tum Separatio illius, quod laudabile erat in materia & adfuſis humoribus, à maſſâ recrementitiâ; nam Chylus per Vaſa Lactea, & Quicquid boni præterea eſt per Reſorbentes ſuſcipitur Venas; in Circulum deducitur &c. Sed eâdem ſeparatione, quatenus materiem ſiccat, impeditur nocitura, ſi pergeret ulterius, putredo. Sic in Craſſis, præcipue hactenus circa Cœcum, hærent *cibi reliquiæ*, aptæ jam, quæ *depellantur*, ſimulque figurentur; utrumque fit, *tum adſtringentibus ſe Inteſtinis*, *tum relaxantibus*, ut pulchre notat Cicer. Nat. Deor Lib. II. c. 55. (Confer, quæ de actione Tunicæ Muſcularis dicta ſunt) adjuvantibus Reſpiratione & viæ Lubricitate. Scybala interim, dum per alios aliosque feruntur, reſorbtioni inhiantes, tractus, ſubiguntur adhuc; quod ſolubile, avocatur; donec tandem emuncta circa Rectum & finem Coli pro tempore ſiſtantur: Tum accumulatio, compactio, Recti diſtenſio, materiæ in ſenſilem ſupra Sphincterem Ani locum adactio, & inde natus in reliquo corpore convulſivus quaſi conſenſus, cogunt hominem ad actionem ultimam, quæ eſt

4. *Expulſio*: ſub quâ laxantur priùs Ani Sphincteres, tum cauſſæ memoratæ impellentes, una cum nixu Diaphragmatis & Muſculorum Abdominalium, excernenda propellunt, Levatores Ani & Transverſi Perinæi propulſa exprimunt; ſic, quod urgebat, excidit: & partium per memoratos muſculos fit reſtitutio. Donec ex novis ingeſtis, materiem viresque reſumant Inteſtina, & Actiones in gyrum redeant.

Ex quibus omnibus colligere datur, *Inteſtinorum Craſſorum Uſum* ad hæc redire; 1. ne continuò, ſed per longa intervalla egeramus; ſubjiciuntur enim tanquam venter ſiccis excrementis, uti Veſica urinæ; 2. ut coquant agantque tanquam Ventriculus ſuccenturiatus. 3. Multa ſunt, quæ ſuadent ſanguinis etiam recrementa per hanc viam educi: 4. Sunt Emunctorium primæ Coctionis, expellentia, quæ neutiquam reſorberi, vel nonniſi cum ſanitatis diſcrimine valent.

CAPUT SECUNDUM

De Cauſſis, quæ Inteſtinorum Craſſorum Functiones lædunt.

Evacuationi per Alvum provida, & ſanitati noſtræ ſtudioſa, Natura hanc definivit legem: ut, peractâ Coctione Primarum Viarum, reſiduum emunctum, hìc collectum, facile, & cum grato levaminis ſenſu excernatur, ne quid inde Oeconomia C. H. detrimenti capiat. Quantum vero temporis hic inſumatur diligentiſſimus Naturæ obſervator HIPPOCRATES. L. IV. de Morbis. notavit: *Sanus*, inquit, *ſi quis futurus eſt*, *heſternum ſtercus quotidie per alvum dimittat.*

Sanæ igitur ſi fuerint, vegetæque Inteſtinorum Functiones, hoc ordine cuncta procedent, ſin minus, contra; ſenſim enim ex fœcundo hoc morborum ſeminio Effectus progerminabunt tum Topici, tum qui inde ad omne corpus redundant. Hos exponere conſtitui; ſed felicius ad eorum veniemus intelligentiam, ſi nos, quæ ſit origo cauſſæ Læſarum Functionum hujus tractus, non lateat: In has igitur cauſſas inquirendum nunc eſt. Studio tamen brevitatis affectuum generalium originem modò expediam, ideò per ſingulas Craſſorum Functiones non ibo, ſed unicam conſiderabo *Expulſionem*, utpote eorum, quæ intus fiunt, indicem.

Vitiata *Expulſio* quadruplici ſub ſtatu venit, vel *Imminuta* eſt, vel *Suppreſſa* penitus, *Aucta*, vel *Depravata.*

Imminutam Expulſionem & *Suppreſſam* eodem pertractabo titulo, gradu enim tantùm differunt, vocanturque *Alvus Tarda*, *Sicca*, *Adſtrictâ*, *Retenta*, *Conſtipata*, *Suppreſſa.* &c. Contingunt variis de cauſſis.

I. *Situ & Decurſu Partis:* HOFFMANN. *de Duoden. mult. mal. cauſſ.*

cauſſ. §. 9. *Nulla pars*, inquit, *aptior ad ſtagnationem*, . . . *quam quæ flexuram habet*, *in qua hærere & ſubſiſtere poſſunt humores*, . . . *in quam claſſem præter Ventriculum refero Duodenum.* Nonne ſummo jure & *Craſſa* eò pertinent *Inteſtina*? In memoriam revoces, quæ Cap. I. de Decurſu Craſſorum & Contentâ Materiâ notavimus, *bis enim adſcendunt Fœces, alvinæ ad perpendiculum*, *bis descendunt*, *angulos ſuperant quatuor* &c. BOERH. *præl. ab* HALLER. *Edit. T.* I. *p.* 527. ſic, ni fallor, de veritate conſtabit.

II. *Vitio Inteſtini.* 1. *Aucta Capacitate*; cujus, ex immani prægreſſâ diſtenſione, per Fœces, Flatusve coërcitos, ſtupenda exempla ex BOERHAV. SCHENK. FERNEL. referuntur cap. ſeq. Hoc primum ſequi ſolet (vid. VAN SWIET. ad BOERH. *Aphor.* §. 649.) 2. Vitium, *Debilitas*, *Motus Periſtaltici Languor*, *Atonia Inteſtini*: quæ tamen inducuntur præterea ex cauſſis fibræ debilis & laxæ. Vid. BOERH. *ad. h. titul.* 3. *ex Imminuta Capacitate.* *I.* Vel propter violentam Spasmodicam Conſtrictionem; cui præ aliis fere partibus obnoxia ſunt Inteſtina, ob ſummam, quâ gaudent, ſenſilitatem; vidimus enim pluries Inteſtina in canibus, vivis diſſectis, ab applicatâ ol. Vitriol. guttulâ, vehementer commota, locumque attactum penitùs perſtitiſſe conſtrictum; & præterea totum corpus in conſenſum raptum, diriſſimèque convulſum Animal. Interiorem quoque tunicam (ſed in cane jam per quadrantem horæ mortuo) eodem tetigimus Cauſtico, & mox varii in Inteſtinis reſuſcitati ſunt motus; quos in Vivâ vulnerata ab inſperſis Inteſtino, extra abdomen pendulo, Purgantibus obſervavit LE CAT. *Philoſ. Transact. N.* 460. Maxime igitur ſenſilia, in ſpasmos admodum prona ſunt Inteſtina. Conf. VAN SWIET. *ad* §. 648. & ideo mirum non eſt, ſi a ſtimulis, qui in hoc tractu frequentiſſimi ſunt, (ut poſtea videbimus) excitentur conſtrictiones violentæ, alvum pertinaciter conſtipantes. *II.* Sed & Craſſa nonnunquam videntur Lentâ Conſtrictione anguſtari, adeo, ut parum vel nihil luminis remaneat. Hac hyeme pueri cadaver aperui, in quo Cœcum fœcibus, Colon ad Lienis ſedem (ut & Tenuia Inteſtina) flatibus turgebant: gracilis vero & contracta erat Coli inſignis portio in ſiniſtro latere; ita quidem, ut quaſi per tubum mearet ano inflatus aër ad Cœcum, illud diſtenderet, minime vero anguſtius illud ſpatium: ſimilia exempla proſtant apud VAN SWIET. *ad* §. 422. WALTHER. *de Anguſtia Inteſtinorum*, circ. fin. De Recto

Inteſtino, funiculi craſſitiem vix æquante, cum cavitatis abolitione & coälitu in adulto: vid. Bonet. *ſepulchr. Anat. L.* iii. *Sect.* xiii. *Obſ.* ii. §. 2. & de Ileo ſimiliter adfecto vid. §. 3. *III.* Immeabalia quoque redduntur Craſſa ab Excrescentiis: *A glandulofa excreſcentia univerſum Inteſtinum Colon obſtruente morbum Iliaco Colicum* vid. *Act. Med. Phyſ. Vol.* viii. *Obſ.* 47. quo refer Condylomata, Ficus, Mariscas &c. in Recto. *IIII.* Vel in Callum degenerant Tunicæ cum anguſtia Inteſtini Bonet. *l. c. Obſ.* i. §. 8. ix. §. i. vel in Cartilaginem ibid. *Obſ.* v. & ix. 6. vel Emphyſemate turgentes Tubi cavum claudunt, Combalus. *pneum. pathol.* §. 18. & *ibi cc. ll.* Idem ſymptoma ab inflammatione & ejus exitus. Boerh. *Aph.* 960. & *ſeqq.* Parietum Concretiones, Anus imperforata, Recti in Veſicam inſertio, Herniæ &c. Expulſionem minuunt, ſupprimunt. Intuſſuſceptio quoque; quam in Craſſis vidit Hildan. *Cent.* i. *Obſ.* 61.

III. *Hiſtoria Medica demonſtrat, Alvi & Urinæ vias adeo patulas à Tumoribus, in vicinia enatis, penitus intercipi poſſe.* van Swiet. *ad* §. 586. *β.* Unico exemplo hoc confirmat Tulp. *L.* iii. *C.* 10. *Sutoris Uxori, excrevit, 60. ætatis anno, ingens tumor; inter alvum, ac vulvam; . . . . Unde factum, ut indies latius ſeſe extendens, pervenerit tandem ad eam magnitudinem, ut ſuppreſſerit, juxtà Alvum ac Veſicam:* &c. Gravidus quoque Uterus, & tumores in Eo præternaturales Rectum toties comprimunt; a duobus Calculis intra Veſicam: Tulp. *L.* iii. *c.* 2. & ob Veſicam lotio diſtentam; idem in Colo propter Abſceſſum, Steatoma fundi ventriculi &c. vid. Bonet. *L.* iii. *ſect.* xiii. Huc etiam referre licebit malam Trunci Conformationem in hoc vel illud latus inclinantis: Situm; quem in ſe quaſi contracti, incurvati, prono pectore libris impallescentes, ſervant Litterati, nonnullique Artifices: & Abdominis Conſtrictionem, Virginibus noſtris,

quas matres ſtudent
Demiſſis humeris eſſe, vincto pectore, ut graciles ſient
- - - - - - *reddunt curatura junceas.* Terent.

nimis uſitatam. Quot mala inde ſibi contrahat ſexus amabilis edocet inſignis Winsl. *Mem. Acad. Roy. des Sciences* 1741.

IV. *Vitio Eorum quæ Craſſorum Actionem ſolent adjuvare:* Defectu

v. g.

v. g. Bilis; Muci, aut ejus exceſſu Bilem inviſcantis; defectu Pinguedinis, præcipue intra Rectum tranſſudantis: Torpore Motus Reſpiratorii, Muſcularis, aut ejus exceſſu, liquida ad cutem derivante &c. Addo Omiſſionem Stimulorum, quibus Alvus a longo tempore adſuevit, Eccoprotici v. g. Purgantis: & de Nicotianæ fumi ſuctione notiſſimum eſt, Illâ omiſſâ, alvum intermittere.

V. *Contenta Materies* ſæpe Alvum obſtruit. Si v. g. Voraces avidius ſe cibis, iisque non ſatis dentibus commolitis, ingurgitent; vel ſi Corpus a paſtu mox valide excerceatur; aut ſtatim ad tepidas Theæ, Coffeæque Sorbitiones provoletur: ſic enim indiſſoluta ſtomacho excidunt, Inteſtinorum viribus ſuperiora: porrò ſi debiles, otioſi, vitæ ſedentariæ dediti cibis nimium indulgent ſiccis, terreſtribus, auſteris, viſcidis, glutinoſis &c. quo pertinent etiam creta, calces, terræ &c. deliciæ gravidarum &c. ex Malacia: & fructuum deglutiti Nuclei, Ceraſorum, Meſpilorum, Prunorum, cujus rei notabilis Caſus exſtat *Medical Eſſays Vol.* I. *Obſ.* 32. ab Uvis integris KERKRING. *Obſ.* 6. & plures alii apud BONET. SCHENK. &c. Inſuper, quæ totâ ſuâ ſubſtantiâ Medicis dicuntur Heterogenea; Vermes, in glomerem convoluti; Calculus, TULP. *L.* I. *Obſ. ult.* & *Act. Med. Phyſ.* pluribus in locis. Vol. II. III. IV. VII. Tandem huc refero, quæ per ſe non obſtruunt, ſed Inteſtina irritant ad ſpaſmodicas conſtrictiones, hærentia vel intra Tubum; Acria v. g. quocunque titulo adſumta, hic nata, aliunde advecta; Flatus quoque, Vermis &c. vel Tunicas obſidentia, Congeſtus ſanguis ad Inteſtina, vel Materia Perſpirabilis, Arthritica, Rheumatica, Podagrica, Scorbutica, Eryſipelatoſa, Exanthematoſa quæcunque, Ichoroſa, Acris ex ulcere, ſetaceo, fonticulo &c.

Sequitur *Expulſio Aucta*: ſcopo noſtro ſufficient Diarrhœa & Dyſenteria; Alii Alvi Fluxus, ut poſtea dicam, altioris originis ſunt: imo vel memorati duo rarius fortè ex ſolis Craſſis male affectis proficiſcuntur: poſſunt tamen eorum cauſſæ ſuam ibi ſedem eligere.

Inducuntur hi Fluxus immodici I. *ex Cauſſis Materialibus*: quæ conſiſtunt in affluxu Liquidi, vel Inquilini cum vitiata reſorbtione, aut Præternaturalis, Catalogum pro Diarrhœâ vid. *Apud* BOERH. *Aphor.* §. 719. pro Dyſenteriâ §. 959. Vel Liquidi aliunde acciti, Sanguinis ex ſuppreſſis aliis evacuationibus, Aquæ Hydropi-

corum, Materiæ Perſpirabilis, Arthriticæ, Rheumaticæ &c. Criticæ, veræ Urinæ vid. RUSSEL de *Tabe glandul.* p. 46.

II. *Ex Cauſſis Efficientibus*: 1. Nimia v. g. Debilitate Inteſtini, ut multùm colligat humoris, parum reſorbeat: donec copiâ ſtimulantibus contentis vel acrimoniâ, excitetur languidus Periſtalticus Motus, fiatque Expulſio copioſa frequens. 2. ſæpius forte à Stimulis; Acribus, modo recenſitis, & qui ſimpliciter ſtimulando agunt, humores alliciunt, Calculus, Vermis: aut quæ ex ſingulari proprietate alvum ducunt, Purgantia. vel 3. Inteſtinorum Nimia eſt Senſilitas ad ſtimulos naturales, propter excoriationem, inflammationem, ulcus, materiæ acris decubitum in eorum tunicis.

Paradoxum tamen cenſeri poſſet, eaſdem cauſſas (quæ nempe ſtimuli ratione agunt) binos effectus, (ſtrictam alvum & eandem impetuoſe fluentem) ſibi è diametro oppoſitos, producere: Res tamen veriſſima; videntur enim vel plenaria conſtrictio vel acceleratior determinatio ad anum ſolum modò ex ſenſiliſſimi Inteſtini diſpoſitione pendere: *Purgantia accelerant Inteſtinorum motum, quo contenta ad anum deducuntur, per ſtimulos:* VAN SWIETEN *ad* §. 719. ſed ingerat tale purgans fortius Hyſterica, vel Hypochondriacus; quis erit effectus? ut plurimum, quia his magna diſpoſitio ad ſpasmos eſt, Alvi Conſtrictio, Tormina &c. hinc patet ratio, cur Podagrica, Rheumatica, &c Materies retropulſa in diverſis Subjectis, imo in Eodem ſed vario tempore alvum conſtipet, aut laxet: cur ſæpe tam feliciter agat Purgans Opiato maritatum. &c.

Ultimò venit *Depravata Expulſio*; ad quam refertur

1. *Materia*, quæ excernitur, *præternaturalis.* Si v. g. loco Fœcum dejiciatur Materia talis, qualis ingeſta fuit, vel Chyloſa, Loturæ carnium ſimilis, Sanguis, Pus, Ichor &c. uti in Lienteriâ, Cœliacâ Paſſione, Fluxu Hepatico, Diarrhœâ, Dyſenteriâ, Hæmorrhoïdibus, Ani Fiſtulâ &c. vel Calculus, Vermes, &c. Potiſſimum tamen

2. *Modus excluſionis vitiatus:* ubi ſcilicet materies fœculenta quidem ano exit, ſed, propter impeditum tranſitum, arctato Recto mole Uteri, Veſicæ, aut tumentibus dolentibusve Hæmorrhoïdibus, Fungis, Criſtis, Mariscis &c. vel propter Fœcum nimiam duritiem, ſiccitatem, Muci lubricantis defectum, aut Pinguedinis

&

& quæ plura) non niſi cum ſummâ difficultate, maximis nixibus, doloribusve; ut ex dejectione tali producantur Hernia, Hæmorrhagiæ variæ, Recti Ardor, Inflammatio, Ani Procidentia & alia, quæ cauſſarum vice funguntur in

3. *Teneſmo*, ex binis prioribus fere compoſito: dolorificè enim & cum nixibus violentis excernitur tantillum ſanguinis, puris, muci, &c, aliquandò prorſus nihil; id tamen ſibi peculiare habet, quod continuo ægrum ad deſidendum urgeat. Dirus hic affectus, ortum ſæpe trahit ex prægreſſâ quâvis fere expulſione auctâ, ſponte excitatâ, vel artis ope, per valida Purgantia, maxime Aloëtica: ex Recti Inflammatione; Ulcere, pus, ichorem, ſaniem &c. ſtillante; ex Ani Fiſtula; Hæmorrhoïdibus, cœcis furentibus; aut fluentibus; externis, internis, albis; ex Coryza, (ut ita dicam,) Recti; Materiæve Fœculentæ tantâ duritie, ut vires expultrices eludat penitus, interim continuò Rectum irritet: Naſcitur etiam ſi acris Materia ibi vel deſtillet affatim, vel Rectum nimis ſenſile reddat: aut ſi, quæ frequens eſt cauſſa in junioribus, circa anum nidulentur Aſcarides: ſæpe etiam ſympathicè hic in furorem conjicitur Archæus; nam Teneſmus comitatur Nephriticos Dolores, Calculum, Ulcus veſicæ, Dyſuriam, Stranguriam, Iſchuriam, præcipue in viris: ſupervenit ultimis ſæpe graviditatis menſibus; Fœtui mortuo; Matricis Inflammationi; tum & Hyſterico, Hypochondriaco, ſimilibusque Spasmodicis vicinarum partium Morbis.

CAPUT TERTIUM

Inteſtina Craſſa Multorum Malorum Cauſſam & Sedem arguens.

Ordine propoſui *Situm*, *Decurſum* & *Fabricam Inteſtinorum Craſſorum*; ex his, tum & ex aliis, quæ in vita communi ſæpe occurrunt, *Cauſſas* protuli, quæ turbant eorum Actiones, C. H. adeo neceſſarias: Nunc eo perveni, ubi Diſſertationis cardo vertitur, & ad cujus faciliorem intelligentiam bina illa Capita præfatus ſum. At Delicatioribus facilè jam concitavi nauſeam; non aliter tamen hæc ſacra conſtant; nec aliud quid cauſari volo, quam quod de ſimili materiâ praecipit COMBALUSIER *pneum. pathol.* Cap. I. §. 5. *Fœtoris expers eſt ſermo nec unquam cordatum virum languidæ hominum ſanitati redintegrandæ inhiantem, & naturæ veſtigia ſedulo prementem, hujus obvia quæcunque phænomena inquirere ac referre pudebit.* Quo igitur cœpi pede, pergam: & in enumeratione Effectuum, qui ex male affectis Craſſis oriuntur, promiſſi ſummam explebo, probans, INTESTINA CRASSA MULTORUM MALORUM CAUSSAM ET SEDEM EXISTERE.

Non inaudita priùs refero, idem ſentit ANONYMUS quidam Auctor, qui gallico ſermone tractatulum edidit titulo *Medecin de ſoi-même*; Cujus verba hæc ſunt, pag. m. 82. „ *Il y a une Anatomie naturelle, qui . . . . nous fait connoitre manifeſtement, que le Colon eſt le ſiege de la pluspart de nos maladies. Qui eſt-ce, qui ayant vu des malades n'a pas remarqué, que presque tous ceux, qui ſont disposés à tomber dans des grandes maladies, ſe plaignent long-temps avant d'être accablés, & long-tems même après l'accablement, de douleurs à l'Eſtomac, & aux Reins, qui ſont juſtement les lieux où paſſe cet Inteſtin, qu'ils ſe ſentent extremement gonflés & preſſés*

„ *com-*

„ *comme d'une barre au travers du ventre, ce qui n'arrive, que par l'ex-*
„ *trème tenſion de ce Boyau, qui étant ſurchargé d'excremens, tire les*
„ *parties, auxquelles il eſt attaché, & incommode celles, qui lui ſont*
„ *voiſines, par ſa peſanteur. Auſſi le trouve-t-on quelquefois tellement*
„ *élargi, qu'on le prendroit d'abord pour l'Eſtomac &c.*"

Proprie quidem peccant, & potiſſimum tunc Corpori oneroſa ſunt Craſſa Inteſtina, quando, ſuppreſſâ alvi dejectione, recrementa primæ coctionis, & quæcunque porro huc deferuntur, diutius retineantur, extendant tunicas, vicina comprimant; &c. Inficias tamen ire nequeo, Nos ex Naturæ inſtituto, quæ hunc tractum tam amplum, tam longum conceſſit, aliquamdiu illâ evacuatione absque magno ſanitatis detrimento carere poſſe; eſt tamen modus in rebus: nam ſi diutius langueat, periculo haud vacat, ideo HIPPOCR. L. II. prædict. C. 4. inquit, „ *ſi tertio* „ *quoque die aut quarto, aut ex longiori intervallo dejectiones prodie-* „ *rint, periculum eſt aut Febre, aut Alvi Profluvio corripiendos eſſe.*"

Objici tamen poſſent caſus (quales exſtant plures apud Obſervatores STALP. v. d. WIEL Cent. I. Obſ. 55. MAURIC. Obſ. 303. BONET. SCHENK. SCHREIBER. vit. RUYSSCH. p. 78. aliosque,) hominum, qui citra ſanitatis labefactationem ſingula tantum hebdomade, ſemel in menſe, vel ex longiori intervallo alvum deponebant; Respondeo, 1. non derogari fidem obſervationi fere univerſali per caſus raro contingentes: 2. Cum BOERH. *prælect. ad inſtit.* §. 112. poſſe conſtipatam per 6 aut 12 dies perſtare alvum cum quadam Euphoria, *dummodo abdomen molle maneat & appetitus ciborum validus: ſignum evidens tum erit, quod cibi perfecte attenuentur, ut fœx pauciſſima, chylus paretur plurimus.* &c.

Concedo etiam vicariam operam Cutem inter & Alvum, ex HIPPOCR. notiſſimo loco Epidem. IV. *Cutis raritas, alvi denſitas,* & SANTORII obſervationibus. Sed fatebitur quisque ſingulis excretionibus quædam de corpore expelli, quæ per alias vias exire nequeunt; etſi hoc quodammodo de aliis evacuationibus in dubium vocari poſſet, (rem tamen probat de GORTER *perſpirat.* Cap. XI. §. 34.) veriſſimum id erit de hac noſtra; per cutem quippe non excernuntur niſi ſubtilia, fluida, remanebunt itaque in Craſſis terreſtria, ſicca, fœculenta, nullâ aliâ viâ educenda; ſed quæ tum non niſi difficilius anfractuoſam Inteſtinorum ſemitam peram-

perambulare poterunt, novis advenientibus excrementis viam præcludunt: unde Malorum Ilias! Quæ Mala nunc paullo plenius examinabimus.

Alvus, quæ dicitur *Naturaliter Strictior*, vulgo prærogativa habetur, illa nempe, quæ alternis tantum tertiisve diebus reſpondet: indicat fortia Inteſtina, & Vim reſorbentem validam, Chylum hinc ſubactum, tenacem in nutrimentum cedere, Corpora quoque ideo maſcula & robuſta reddi; verum quidem hoc eſt, ſed ſi ex alterâ parte contemplemur hoc privilegium, niſi me fallit animus, inveniemus, quod diſponat ad varios Morbos; Naturalis quidem dicitur, ſed ſecundariò tantum talis eſt, quatenus Conſuetudo altera Natura: cœterum *Sanus heſternum ſtercus quotidie dimittat* HIPP. *L.* IV. *Morb.*

Hi autem dum magis emungunt recrementa, diutius ea retinent, copioſæ Fœces accumulantur circa Rectum, & finem Coli, exſiccantur, & tandem aridiſſimæ fiunt, vid. VAN SWIET. *ad* §. 605.

Nonne ex hac Cauſſa Hi præ aliis diſpoſiti ſunt ad *Dolorem* illum *Hypochondriacum*, quem vulgus perperam in Liene quærit, tituloque *Puncturæ Lienis* ſalutat: Hic dolor hodie a pluribus quidem in Colo reponitur, Flatibusque adſcribitur, confer BOERH. *Prælect. ab* HALLER. edit. T. I. p. 513. & 528. Aliosque; dilucide tamen non explicatur; Rem itaque ſic evincere conabor.

Omnibus notum eſt, appetente Ventriculo, vacuisque Inteſtinis, exaudiri plerumque oberrantes cum murmure per Inteſtina Flatus. Borborygmos vocant Medici, ceſſant vero hi ventriculo utcunque adimpleto, & cum Inteſtinis ad ſolitos redeunte labores: quid fit de illo Aëre? Ructu forte excutitur portio, alia cum Ingeſtis ſubigitur, reliqua derivabitur a Periſtaltico, jam ad naturalem rythmum reducto, verſus Craſſa: & ad hæc ſola fere Borborygmos reſtringit VAN SWIETEN ad § 648. confer FERNEL. *pathol.* L. VI. c. X. BOERH. *prælect.* T. I. § 108. Hærebit itaque hoc in loco concluſa Materies elaſtica, nam in latere dextro obſtat Valvula, quominus regurgitet, in ſiniſtro multæ dantur reſiſtentiæ, Flexus Coli alter compoſitus, eum excipiens Inteſtini Anguſtia, & præterea his hominibus exſuccæ aridiſſimæque fœces viam obturant. Hactenus nullum fere ſentiunt incommodum, ſed mox a paſtu Corpus valido exagitent exercitio, inca-

calefcunt, eoque ipſo Aër in Colo rareſit; citius reſpirant, crebrius itaque conquaſſantur abdominis viſcera; ſed & diſtentus jam Ventriculus fortiùs impinget in Coli portionem, quæ eſt ante Flexum ſecundum; forte & ſua diſtentione eundem locum plus minus comprimit: Motus tandem Periſtalticus, agitatus quoque, fortius determinat concluſum Aëra verſus obſtructum finem Coli, quo igitur reſiſtente, omnem impetum excipient arctum Colon in ſiniſtro latere, & Flexus alter compoſitus. His omnibus ſi addas genus doloris, qui in Liene obtuſus, gravativus, obſcure tenſivus deſcribitur, in Colo verò, uti hic, punctorius, mordicus, terebrans. Hæc omnia videntur Colon, ejusque Flexum alterum præ aliis ſedem illius doloris arguere. Hæc illa ſunt, quæ cum probabilitate Flexuræ Coli in ſiniſtro latere addi poſſunt, Addenda enim quædam poſtulat MORGAGN. *adverſ.* III. *anim.* 6. *p.* *m.* 9. & 10. Quamvis tamen non adeo ſtricte hic dolor ſoli huic loco adſcribi debeat; Novi enim perſonas, quibus familiaris is ipſe eſt in Flexu Coli primo; aliam de eo conquerentem audivi circa Ileum dextrum.

Ex modo notata Fœcum natura & quia his, quibus alvus ſegnior eſt, Inteſtina etiam molli ſmegmate non ſatis obducta ſunt, deduco & hos facilius in alvi obſtructiones incidere.

Præterea ſolent hi, juxta HIPPOCR., copioſius perſpirare, & quia plus ex recrementis primæ Coctionis reſorbent, imo quod vere recrementitium eſt, (ut poſtea ex HOMBERGII Experimento patebit) gravius igitur adficientur a ſuppreſſa Perſpiratione, quam quidem alii; nam quum non facile moventur, facile hinc in alvi Tormina ruunt: uti Exemplo probat DECKERS *Exercitat. pract.* p. 348. „ Fœmina 50 Annos nata, cui rariſſime intra quatriduum „ reſpondebat alvus, ex Aëris injuriis in Quartanam incidit, „ cum præcordiorum Anguſtia, ſuffocatione Hypochondriaca, „ appetitu abolito, alvo adſtricta ſummis cum torminibus; de in„ duſtria, (ut notat Auctor) purgans datum non erat, tandem tamen „ id petiit ægra, & applicato Clysmate ſolvente, brevi cum in„ duratis fœcibus ejectis & flatibus, alvi Tormina, Anxietas & „ Suffocatio evanuêre". Quod & ſequentes confirmat animadverſiones.

Nempe quia 1. Craſſa plerumque in his plus minus diſtenta ſunt, Vaſa igitur, eorum tunicas perreptantia, minus libera tardum ad-

mittent modo humorum transfluxum; 2. Materies venis reſorbta, laudabilis licet adhuc, magis tamen terreſtris videtur, Vid. inf. citat. Hoffm. locum *Syſt. Med. Rat. L.* I. S. II. C. 6. Schol. §. 12. Unde & tardior motus humorum in Syſtemate vaſorum abdominalium; & ex his diſpoſitio ad ſtagnationes, obſtructiones; &c. præſertim ſi vitæ ſedentariæ dediti ſint; His igitur, ingraveſcente ætate, (ex Hippocr. *Aphor.* 53. *S.* 2. *Quicunque alvos habent humidas, dum quidem juvenes ſunt, melius liberantur his, qui ſiccas habent; ad ſenectutem vero hi pejus liberantur, ſiccantur enim ut plurimum ſeneſcentibus.*) magis ſiccatur alvus, ſic ſenſim ſine ſenſu Hypochondriaci fiunt & Melancholici; id quod vel in Juvene manifeſtè ex hac cauſſa vidi:

Sed tandem diſponit hæc ſiccitas ad fluxum Hæmorrhoïdalem, van Swiet. *ad* §. 605. *N.* 13. præcipue Boerh. *prælect. ad Inſtitit.* §. 112. *pag.* 525. *& ſeqq.* Hall. *ad h. l.* Qui priorem morbum tunc quidem ſolvit Hipp. *Aph.* 11. S. 6. *Melancholicis Hæmorrhoïdes ſupervenientes, bonum:* aut prævertit, attamen, quia præter naturam fit, morboſus eſt.

Poſſem & huc revocare morboſam illam Alvi Segnitiem, ex *Anguſtia Inteſtini* oriundam, qua Venter per ſe liquida tantum dejicit, craſſiora intus manent, niſi ſollicitetur Pharmacis; melius tamen de hac ſpecie ſub Colicis agetur.

Procedo itaque ad *Alvi Conſtipationem ex Obſtructione:* Ex quacunque cauſſa id fiat, neceſſario novæ fœces ad obſtaculum appellentes retinentur, accumulantur, ſtagnant: Hac ſtagnatione recrementa primæ coctionis duplicem fere ſolent ſubire mutationem; vel exſiccantur, & obſtructionem augent: vel 2. ſolvuntur, ſuamque in loco calido ſequuntur naturam, abeuntque in liquamen putridum; unde Diarrhœa, Dyſenteria, cum excoriatione, inflammatione, exulceratione &c. Inteſtini.

De Obſtructione Aucta nunc dicam:

Stagnans ante obſtaculum maſſa, quia Inteſtina, quantum valent, ſuas in Contenta pergunt exſerere vires, orbatur ſuo liquido, (id quod vel reſorbetur, vel nondum ſuppreſſæ penitus alvo materiem ſubminiſtrat) hæc ipſa apta fit, quæ iterum poſt ſe craſſiora accumulet, ſic ingens fœcum colligitur in Craſſis copia, denſa, compacta, exſucca, inepta ad motum, imo in tantum ſæpe infarcitur canalis, ut viderim in puero totum illum

tra-

tractum, qui ſub ventriculo eſt, fœcibus turgentem: in ſenili cadavere, is ipſe locus præ contenta farragine ſolidum mentiebatur corpus, atque ſuo pondere, arcuato modo inflexus, ad umbilici ſedem & ultra deſcendebat: quod etiam notarunt Obſervatores: vid. SCHENK. *Obſ. Med. L.* IV. *de gravid. Obſ.* 6. BONET. *Sepulchr. L.*III. *S.*XIII. *&* XIV. Dura hæc materies, ſi quando circa Rectum hæſerit Inteſtinum, gravitans, idque irritans *Tenesmum* excitat moleſtiſſimum, & ſæpius plane irritum; ſi tamen contingat quædam illius excretio, hæc ſecum abripit multum muci; Inteſtinum ſua mole & duritie diſtendit vehementer & ſtimulat, ut hinc ardores & dolores Recti poſt dejectionem, quandoque vel Hæmorrhoïdes, vel Ani procidentia, aut fortiori nixu, qui neceſſariò hic requiritur, generentur Hernia, Hæmorrhagiæ in regionibus remotis: Sed ſublata hac viæ lubricitate, Expulſio magis vitiatur, imo Inteſtina, quum hæc activa ſint, prius nimis diſtenta, jam arctiùs ſe conſtringent, & maſſa exſucca remanens arctius incarcerabitur:

Sic *ab induratis fœcibus conſtipata alvus per plures dies perſeverat, nec in principio dolor eſt, ſed poſtea accedit; morbus longius protrahitur.* RIVER. *Prax. Med. L.* X. *C.* 2. Sed interim magis augetur fœcum copia, variaque inducit ſymptomata, pro ut, cedere neſcium, Colon alias aliaſque partes comprimat: Imitatus ſum hanc Coli diſtentionem ſequenti modo:

In Cadaveris integri, aperto tantum Abdomine, Craſſis Inteſtinis per anum Aëra inflavi: admodum turgens vidi Cœcum, ſed jam liberius, quam par erat, cedens antrorſum, reſiſtentiâ Abdominalium Muſculorum ſublatâ (id quod circa totum Experimentum animadvertendum eſt) Manu repreſſum Colon Tenuia multùm de ſede turbabat, & credibile non parum Renes inde paſſos fuiſſe: Notabilia & erant ſequentia; poſt primum Flexum Colo accumbit Veſicula Fellis, ut lutea notat macula, ſed haud parum nunc premebat Colon Cyſtidem: pergens ulterius flaccido inſultabat Ventriculo, (ut in ſimili caſu notat VAN SWIET. *ad* §. 422.) qui, aëre etiam immiſſo, allidebat ad Colon, attamen mirâ illâ inverſione, quam ſub repletione fundus patitur, emergebat quaſi: Verum tunc Pyloro magis infeſta videbatur Coli tenſio: Cœterum Duodeno accumbit naturaliter: In Hypochondrio ſiniſtro altius adſcendebat, tumorem efformabat ingentem, qui vel ibi Ventriculo non indifferens viſus

 eſt;

eſt; neque obſcure notari potuit contractior Coli locus in ſiniſtro latere: ſed in ſubjecto Ileo, & inde ad Hypogaſtrium, Flexus ibi ſitus Sigmoïdëus, finisque Coli ante Corpora vertebrarum lumbarium tumebant ultra fidem; ut repreſſum Cœcum fere contingeret finis Coli: Expanſio Recti intra Pelvim inſignis quoque erat, capacitatemque illius Cavi infimi multum anguſtabat: Doleo, quod omiſerim flaccidæ eo tempore veſicæ inflationem: Operæ ſane pretium, eſt hoc repetere experimentum, ut conſtet, quantam abdominalis regionis partem occupent diſtenta Inteſtina Craſſa:

Nec quis objiciat huic tentamini nimiam diſtentionem; SCHENKIO enim *l. c. libri* IV. Colon, cui pueri caput facilè inſeri potuiſſet; BOERHAVIO v. *prælect. T.* I. *p.* 514. Cœcum adulti capite haud minora viſa ſunt: in utroque caſu fœcibus infarcta.

Ex Coli igitur nimia diſtentione, ſimul cum reſiſtenti duritie, multa ſymptomata explicari poterunt.

Hic fere Cœcum, illic Colon accumbunt Renibus; Hi ex Coli vitiis ſæpius vel per Conſenſum, vel ex Mechanica Compreſſione & Irritatione, ſimul laborant. Ex alvo pertinaciter obſtructa, vix ac ne vix quidem reſeranda, Dolores Nephriticos natos videmus *Act. Phyſ. Med. Vol.* IX. *Obſ.* III. qui perſtiterunt donec induratæ & exſiccatæ fœces educerentur, nec obſtat Arenularum copioſa mictio, nam inquit HOFFMANN. *Conſult. & Reſponſ. Med. Cent.* 2. *&* 3. *Caſ.* II. *Cum in ægrotante neque olim ulla diſpoſitio, aut ſignum renalis præſto fuerit Calculi, nec præſens malum vomendi cupiditate conjunctum ſit, vero videtur ſimillimum, dolorum, quos tolerat, ſedem in renibus, aut ureteribus neutiquam eſſe quærendam, neque etiam obſtat, quod, poſt remediorum Calculum pellentium uſum, ſabuli facta ſit excretio* &c. Sed potius hinc pateret, Coli Obſtructionem quoque Calculi favere Generationi, eoque magis, quia hic videntur reſorberi terreſtria magis, ſic HOFFM. *Syſt. Med. Rat. Lib.* I. §. II. *C.* 6. Schol. ad §. 12. *Si diutius ſub alvo ſtrictiori ibi morantur fœces, majori factâ compreſſione Inteſtinorum, etiam craſſiores, ſalinæ & terreſtres partes in ſanguinem penetrant.* Sanguinis autem recrementa craſſiora per urinæ vias excernuntur; Renes nunc male affecti ſunt, compreſſi, vel ductus excretorii ſpaſticè conſtricti, hinc ſabuli proventus. Monet itaque GALEN. *de Ren. affect.* „ad Præſervationem & Calculi Curationem nihil

„ hil tantopere conducere, quam alvum habere congrue ap-
„ tam & liberam. Vid. & *Comm. ad* POTER. *Obſ. Cent.* I. c.
„ 48.

Sed mecum concipias Cœcum adeo duris impletum Scybalis in corpore Mulieris Gravidæ; & tuto poteris, teſtatur enim Cel. BOERH. *ſe in Gravidis ipſo tactu hunc ſaccum ſæpe percepiſſe*, vid. HALL. *præl. T.* I. *p.* 514. ſed quales inde Uterus duro huic & renitenti appreſſus corpori ſentiet moleſtias? an non inde Situs Obliquus conciliari Poterit Utero? toties difficilis Partus cauſſa. *Illud præterea Cœcum Inteſtinum eſt ſedes flatuum in Hypochondriacis & Gravidis Mulieribus; in hominibus ſedentariam vitam agentibus, dura ſcybala ibi copioſa congeruntur, ut triſtiſſimo fato viderim periiſſe illuſtrem hominem, cui fœcum globi tanta ubertate collecti erant in Cœcum, ut humano capite in reſecto cadavere non minor viſum ſit*, BOERH. ibid.

Nunc pergamus; Ex Coli decurſu ſub ventriculo conſtat 1. de veritate, Baculum, quem ſentiunt ægri ex transverſo Epigaſtrii, *Medecin de ſoi-même* l. c., eſſe ipſum diſtentum Colon: 2. quod, quia reſiſtit Diaphragmatis actioni, turbet Reſpirationem & præcipuos nobilis hujus functionis effectus in Abdominis viſcera, hinc Anxietates, quæ augentur impedito libero transfluxu humorum per Hepar, Lienem &c. inviſus enim hic quoque tumor videtur Vaſis, quæ Portas Hepatis ſubeunt: imo & per Pulmones; hinc Dyspnœa, Suſpiria crebra, Sanguinis congeſtiones ad Caput, & varia alia: v. *Comm.* VAN SWIETEN *ad Capitul. de Anxietat.* 3. Hinc eluceſcit cauſſa Vomituum poſt epulas; adſurgente ſcil. ventriculo, ſed hoc omne explicat idem Egregius Commentator ad §. 654. ſi præcipuè addas quid Pylorus, quid Duodenum patiantur: accedit tandem notabilis cauſſa, Bilis nempe ex Cyſtide expreſſio: quæ ſi perſtet, anguſtiâ Veſiculæ impedietur ordinaria bilis depoſitio, hinc magnæ turbæ in Hepatis ſyſtemate, ad regurgitationem bilis, & Icterum usque: Stagnatio portionis bilis in Veſicula, ad Calculoſam concretionem disponit: hæcque ipſa depravata bilis excretio cauſſas Alvi conſtipatæ auget:

In Gravidis, ſi ibi hæreat Obſtructio Coli, Anguſtiis præcordiorum ex mole uteri, & vomitionibus, Illas vel nimis excruciantibus, novus ſuccreſcit fomes: id fieri docet Obſervatio: Vid. *Act. Phyſ. Med. Vol.* 4. *Obſ.* 2. *Mulier prægnans facta, continuo*

per id tempus vomendi vexata ſtimulo, à paſtu præcipue, alvo ſemper ſicca & non niſi Clyſterum uſu emollita.

Porro, quid Flatus in altero Coli Flexu, quid Fœces in ſiniſtro tractu efficiant, vidimus. Illuſtrare ea poſſem pluribus locis. Sufficiant hæc: RIVER. v. g. *L.* x. *Prax. Med.* C. I. *Quando excrementa*, inquit, *in ſuperiori capaciſſima Coli parte, in globos magnos indurata, à flatibus verſus ſiniſtram partem pelluntur, fit, ut non niſi magno cum dolore permeare poſſint, quo ſymptomate Colicus dolor cum Splenico & Nephritico ſæpe confunditur.* Et BOERH. iterum. p. 527. Hic locus *altera eſt flatuum in Hypochondriacis, & fœcum alvinarum in Gravidis ſedes; habitant ibi Eruditorum dolores, quos innocenti Lieni ſolent tribuere.*

Accedimus nunc ad illum locum, ubi Colon format ſic dictum Flexum Sigmoïdeum; Mirabilem Caſum ex hujus loci nimio turgore nobis narrat Magnus BOERHAAVII Commentator ad §. 422. Ægrotantis cujusdam, cui binis ante mortem ſeptimanis Crus ſiniſtrum dolebat prius, dein tumebat, tandem totum Oedematoſum reddebatur, tumore ultra genu adſcendente; Accedebat extremi pedis frigus, digitorum livor, cum metu gangrænæ: Credebant Medicus & Chirurgus latentem puris collectionem Iliacam Venam aut Cruralem compreſſiſſe; ſed ubi hæreret Morbi cauſſa detegere non poterant. Antiſepticis igitur pugnarunt; *Sequenti die*, inquit, Cel. VAN SWIETEN, *mirabamur, Crus multum detumuiſſe, magisque calere, narrabatque æger & adſtantes, quod plurimos flatus ſummo cum impetu & maxime ſonoros ano exploſiſſet. Perrexit omni hora minui adfecti cruris tumor, & bidui ſpatio; Lenibus frictionibus ſimul adhibitis, totus evanuit: In Cadavere nihil puris in Cavis Corporis Majoribus inventum fuit, ſed in abdomine inveni Inteſtinum Colon non ſubjacens ventriculo, ſed illi incumbens, flatibus diſtentum: Ejusque pars in latere ſiniſtro contracta erat, ſic ut pollicis vix æquaret craſſitiem; ſimul ac vero ſub Inteſtinis tenuibus emergebat illud Inteſtinum iterum inflatum apparebat. Unde veroſimile videtur, Colon illo in loco Iliacæ Venæ incumbens* (Scilicet in Flexu Sigmoïdeo) *Flatibus diſtentiſſimum illam compreſſiſſe, unde tumor Cruris ejusdem lateris ſecutus fuit, qui flatibus his exploſis, iterum evanuit. Niſi hæc vidiſſem, fateor, quod vix crediſiſſem, a flatibus ſic comprimi poſſe ingentem talem Venam, ut gangrænæ periculum inde immineret.*

Si jam finis Coli, qui ante Corpora Vertebrarum Lumborum in-

inferiorum jacet, turgeat, & adſurgentibus ex Pelvi Viſceribus impedimento eſt; & ea valide reprimere valet. Quæ quidem Inteſtinorum pars præcipue etiam in cauſſa videtur fuiſſe *Prolapſus illius Uteri*, (habita ratione ſtatus & ſitus Uteri effœti, intra pelvim quaſi reconditi) *per flatulentam Inteſtinorum diſtentionem cauſſati* v. *Act. Phyſ. Med. Vol.* 11. *Obſ.* 63.

Ulterius mille malorum fomes eſt Rectum fœcibus turgens, cum reſpectu ſui, tum vicinorum: Veſicæ nocua videtur, quod quidem ex ſequenti deduci poſſet Obſervatione. Felem quis elapſâ hyeme mortuum invenit, extus nihil læſi comparuit, neque pelle detracta, contuſi quid ſe monſtrabat: Cupidus cognoſcendi cauſſam mortis aperuit abdomen, ingens hic fluctuabat extravaſati ſanguinis copia; ſpectatum advocatus, expurgato ſanguine, obſervavimus Veſicam urinariam, duabus ex rupturis ſanguinem emittentem; Quæ cauſſa tam inſoliti phœnomeni? putavimus hanc! fœcibus duris ſcatebat Colon, ita ut forti preſſuræ intra digitos vix cederent ſcybala figurata, circum quæ arcte conſtrictum erat Inteſtinum, & in locis inter ea mediis ita, ut cavitas interciperetur penitus; Rectum Inteſtinum valde oneratum, æquabiliter fœcibus turgebat, ut Pelvis capacitatem anguſtam valde redderet: An Veſicæ collum compreſſum hujus rupturæ cauſſa? forte! præcipue ſi acceſſerit nixus ad alvum exonerandam; teſtantur enim Auctores ſub fœcum duriorum expreſſione genitale liquidum, aut ex Proſtatis, profluxiſſe: vid. Boerh. *præl. Vol.* I. *p.* 548. Quantum hic Veſicæ collum, cui ſeminis apothecæ adſident, comprimi debebit? videtur ergo Veſica, ſubtus compreſſa, nixus, (quo abdominis contenta pelvim verſus adiguntur) nunc irriti, propter fœcum duritiem, nimiam excepiſſe vim: & poteſt hoc fieri, notat enim Mauric. *Obſerv. ſur la Groſſeſſe* 303. per violentum hunc nixum loco ceſſiſſe Uterum. Aperui Veſicam jam flaccidam, effluxitque parum diluti ſanguinis, & thrombum ex eodem concreto includebat.

Fœces in Recto etiam cauſſæ ſunt Hæmorrhoïdum, de hoc dictum; vel Teneſmum excitant, uti ex Cap. præc. patere potuit; ſed applicemus & hunc Recti turgorem Gravidis; difficulter hæ ferunt cæcas Hæmorrhoïdes, ægerrime Teneſmos, hi enim ex Hippocr. *Aph.* 27. *ſ.* 7. *abortire faciunt.* Vid. Mauric. *Trait. des Malad. des Femm. Groſſ. liv.* 1. *Chap.* 18. & 25. &, du-

ctis

ctis in conſenſum viis Urinariis, ſæpe Stranguriam excitant, ut notat VAN SOLINGEN *byzondere Aanmerk.* &c. *p. m.* 46. & ſi ſteterit ad Anum fœx, Laborioſus ſæpe Partus eſt; ex aſſenſu omnium Artis Obſtretriciæ Magiſtrorum: DENYS *Ampt der Vroetmeeſters* &c. *p.* 333. VAN SOLINGEN *l. c. p.* 22. & pulchre rem declarat Exemplum *p.* 41. Ubi quarto injecto Clysmate, valida demum ſequebatur alvi egeſtio, & mox caput fœtus quod prius digito attingi non poterat, intra vaginam deſcendebat, levique operâ in lucem edebatur: Mortem fœtus & matris ex hac cauſſa vid. apud BARTHOL. *Cent.* IV. *hiſt.* 27.

Si vero compareat fœx in Recto, fœtusque caput jam demiſſius hæreat intra pelvim, facilè cum prodeunte fœtu exibit fœx. ut cenſent DENYS *l. c.* & LA MOTTE *traité des Accouch.* *L.* 2. *C.* 26.

Ex his, quæ ſparſim circa retentas fœces tempore Graviditatis notavimus, patet, quantum hæ apportent mali, cujus finis Abortus eſt, vel Difficilis Partus, vid. *Act. Med. Phyſ. T.* II. *Obſ.* 166. & Omnium Miſeriarum, quibus Colon fœcibus infarctum Gravidas tentare valet, ſummam vid. in deplorando illo caſu apud SCHENK. *l. c. L.* IV. *Obſ.* 6. Scite ideo monet HEURNIUS ad HIPPOCR. *Aphor.* 45. *S.* 5. *Si quæ Gravida corpore bene conſtituto abortiat, nulla manifeſta incidente Abortionis cauſſa, huic in poſterum commodis menſibus, vel etiam ante ingravidationem alvus eſt derivanda purgatione, ex Agarico & Rhabarbaro:* Exemplumque addit ſequens: *Matrona quædam ſæpius abortierat, pituitoſâ naturâ, cum vero Medicinarum uſum iniit, feliciter geſtationem perfecit:* Confer LA MOTTE *l. c.*

Si jam poſt Partum conſideremus Alvum adſtrictam, quam variis hinc turbatur Lochiorum Fluxus modis; magno cum Ægrotæ detrimento; quantum hic ſæpe valet molle blandumque Clysma? *peſſima igitur nonnullorum ſententia eſt*, inquit Germaniæ decus Cel. HOFFMAN. *Syſt. Med. Rat. T.* III. *S.* I. *C.* X. §. 31. *puerperas primis præſertim ſeptimanis plane non eſſe purgandas, ſed ab omni evacuatione tunc eſſe abſtinendum: hinc complura mala, non ſine periculo, naſcuntur, nam purpura hiſce in regionibus* (quod & docent ubique *Acta Phyſ. Med.*) *puerperis familiariſſima eſt, ex neglecta primarum viarum repurgatione & Lochiorum defectu.*

Nunc quoque Fœtum partu editum Matri ſubjungamus; quantope-

opere turgent Craſſa Meconio? quanta hinc, niſi expurgetur, mala? Sed vel altius res repetenda videtur; teſte enim HIPPOCR. *libr. de Part. Octim. in init. Puer, cum partus inſtat, incipit laborare, & in vitæ venire periculum.* An ergo Craſſa jam peccant? Sic eſt Graviſſimorum Auctorum ſententia: Primus (ut narrat BERGER. *Phyſiol. p.* 491.) fere CLAUD. DE LA COURVÉE, unde hic motus? quærit, " Eſtne a Repletione an ab Inanitione? ad hæc duo om- „ nes referuntur morbi; non quidem ab Inanitione, quandoqui- „ dem ſimul atque natus eſt, depletur, tum bene habet: Ergo a „ Repletione" Concludere itaque videtur, Fœtum jam in Utero Copiâ, Acrimoniâ & Stimulo excrementorum alvi & urinæ impelli ad exitum. Hanc ſententiam quoque adoptarunt DRELINCURT. Vid. *Conceptum Conceptus Perioch.* 60. & nunquam ſine Encomio nominandus BOERHAVIUS, *Inſtit. Med.* §. 685. Vid. & *Prælect. ad hanc* §. item *ad* §. 109. *T.* 1. *p.* 516. ut & Alii. Quæ quidem res, quousque vera, neſcio, ſit fides penes Auctores: de eo certiùs conſtat, ſi ſponte aut artis adminiculo non evacuetur, Meconium inducere graviſſima ſymptomata, quorum Catalogum dedit BOERH. *Aphor.* §. 1345.

Sed extra cancellos, quibus mihi circumdederam, egreſſum me video; demonſtrandi animus erat, quantopere noceret Colon fœcibus infarctum Locis Vicinis; & jam ad Univerſales Morbos Puerperii & Infantum deveneram; ſed ſic ferebat ordo Subjectorum: Nunc pergo; adſeroque.

Alvum adſtrictam non tantum Vicinis Partibus inviſam eſſe, ſed Symptomata ex hoc fomite in diſſitas quoque Regiones debacchari: idque potiſſimum ex triplici cauſſa: 1. propter Turbatam Circulationem in Syſtemate Abdominali. 2. ex Conſenſu, quo gaudent Inteſtina cum Corpore reliquo toto, qui ſane tantus eſt in hoc Tractu, ut eum ratione adſequi neutiquam valeamus: quod vel Vermium ſymptomata abunde docent: 3. ex Reſorbtis Pravis Humoribus: Id quod ſequens probat Experimentum. Cel. HOMBERGIUS ſumſit Stercoris humani naturaliter conſtituti Unc. XII. leni deſtillatione ex Balneo Maris inde acquiſivit Unc. XI. limpidæ aquæ, odoris fœtidi; relicta Unc. I. ſolidæ materiæ. Hæc tria in ſequentibus vel ſeorſim vel ſimul peccabunt:

Inter Loca Diſſita *Nulli parti tam incommoda eſt Alvus Adſtricta, quam Capiti, quod ſemper inde male habet, Morbique ibi conſiſtentes,*

 in-

ingraveſcunt; ſicut contra ab alvo liquida, vel ſi obſtructa fuerit, per Clyſterem ſubducta, mox ſuperiores partes reſolvuntur. HOFFMAN. *Syſt. Med. ration. Tom.* II. *part.* III. *C.* 6. §. 14. Id quod notavit etiam Antiquitas. Vid. GALEN. ad HIPP. *Prorrhetic. Lib.* I. *Alvus Intercepta non quidem adfectionis Cerebri ſignum eſt, ſed illa, alvo interceptâ, augetur, deteriorque redditur.* Confer CELS. *L.* II. *C.* 12. & Quotidiana id confirmat experientia, unde poſtea Cephalalgias, Vertigines, Scotomias, imò Apoplexias, Epilepſias & Convulſiones videbimus; Quantum ergo juvat Alvi Ductio in Capitis morbis?

Sic & Pectori nocet fœcum nimia Retentio, id docebunt Oppreſſiones, Tuſſes, Aſthmata, Peripneumoniæ ſpecies & Hæmoptyſis ipſa: Ventriculo quoque, ut ex proſtrato Appetitu, Cibi faſtidio, Nauſea &c. apparet: Sed per ſingula ire nequeo: male multari poſſunt enim quævis aliæ partes, ſed, ut ita dicam, Caſu tantum: Oculi v. g. Caligine, Ophthalmia, ut notat CELSUS *l. c.* Fauces Inflammatione &c. Sed hæc mala explicari debent ex generali quoque turbata Circulatione, ut hinc fiant ſanguinis Congeſtiones ad diverſa Loca & Organa; oculos, fauces, pulmones, renes &c. & ex hac Theoria intelligetur, quare adeo conducat Alvus Laxa in Hæmorrhagiis, ſive naturalibus per uterum, ſive conſuetis per varias Corporis partes: & cur quandoque Alvus Adſtricta pertinacem ſibi comitem habeat Hæmorrhagiam: uti ſingularis Hæmoptöes Caſus exſtat in *Act. Phyſ. Med. Vol.* VII. *Obſ.* 116. „ Ceſſantis, alvi plenaria expurgatione, recidivam patientis ventre iterum ſuppreſſo; non auſcultantis Hæmoptyſi dicatis „ medicamentis.

Omnia autem hæc mala augebuntur, ſi (dum diutius reſtagnantes Fœces exſiccantur, in lapideam ferè abeunt duritiem, ut poſtea gravis odoris expertes prodeant) fœtidum illud liquidum, (ab iis ſeparatum ab *Hombergio*) interiora petat, & circulantibus admiſceatur humoribus, eosque valde impuros reddat: SPONIUS *Aph.* 27. *S.* II. ſentit „ Alvi torporem vel plenariam ſuppreſſio„ nem afferre omnium conturbationem & vaſorum impuritatem" & hinc *Alvi tardior ſeceſſio Cacochymiæ procreatrix* dicitur HOFFMANNO *Syſt. Med. Ration. L.* II. *S.* II. *C.* 6. *Schol. ad* §. 14. Sic enim, qui prius errore loci ſtagnabant humores, nunc facient exulcerationes &c. tum ſi ad exteriora rapiuntur humores, fient

ſient Ulcera Cacoëthea: & Hæmoptyſis v. g. quæ prius tantùm ſanguinem evacuabat plethoricum, nunc facilè in Suppurationem, Vomicam, Phthyſin degenerabit: patet hinc, cur ſemper tantæ turbæ Cachecticis ſuperveniant ex alvi ſuppreſſione; cur Ulcerum, imo & Vulnerum recentium curationi adeo hæc obſit: Vid. Boerh. *Aphor.* §. 201. & van Swiet. *ad h. l.*

Hoc etiam explicat laudatum Hippocr. locum *L.* II. *præd. C.* 4. *Dejectiones, ... ſi tertio quoque die, aut quarto, aut ex longiori intervallo, prodierint, periculum eſt, FEBRE corripiendos eſſe.* & Recentiorum quoque id conſtat obſervatis. Hall. ad Boerh. *prælect.* §. 112. *Not.* 9. *In ſanis Febriculam facit ſola alvus dura.* Unâ vel Alterâ nempe ex Intermittentibus, aut quæ pejor eſt, Synocho putri: de qua re conſulas van Swieten ad §. 730. collat. cum *Comm. ad* §. 586. *β.*

Tum ſi Febris, valida ſatis, noverit ſeparare noxium ab utili, idque evacuare, Febris remedium eſt, (extincto interim morbi fomite) ſi vero lenta tantum fuerit, auget potiùs pravam humorum diſpoſitionem; aut ſeparatam utcunque morbi materiem deponit ad hoc illudve Viſcus nobile magis, vel ignobile, unde gravia quandoque ſymptomata; ſic, quantum video, explicari debet illa Tulpii *Obſerv.* II. *L.* I. *Matronæ locupleti intervênere ex ventre diutius adſtricto non modo horror ac febris, verum etiam frequens animi deliquium: accedens primum quidem promiſcuè, ſed mox ordinatè, cum in acceſſione, tum in receſſione: Quod tamen deſtitit ex toto: ſed ea lege, ut illi è veſtigio ſucceſſerit admirabilis quædam Epilepſia, inſurgens cottidie modo ternis, modo quinis, modò ſenis circuitibus,* &c.

Et quatenus Alvus Adſtricta Cacochymiæ Procreatrix eſt, ſatis apparet ratio, cur in Febricitantibus, & præcipue in Morbis Acutis adeo damnetur Alvus Intercepta; nam van Swiet. ad §. 772. *In Morbis Acutis, ob auctam circulationis velocitatem, dum olea & ſales ſanguinis acriora fiunt, & bilis imprimis acrior redditur, in corruptelam tendit; hinc magna neceſſitas eſt, ut illæ excretiones, (per Alvum & Urinam) maneant:* Confer Ejusd. *Comm. ad* §. 100. & 689. Similem rationem reddit Hoffmannus, & *Quia*, inquit, *in febrili æſtu corrupti valde humores ad Inteſtina deſcendunt;* (Confer. Schol. ad §. 10.) *Qui ſi nunc retineantur, fœdiſſimam putrilaginem rurſum inſinuant venis ac ſanguini, non mirum eſt, alvum, aliquanto diutius in febribus cohibitam, provocare Faucium inflammationes,*

nes, *Cephalalgias*, *appetitûs & virium Dejectiones*, *Inquietudines*, & *Purpuram:* vid. *Syſt. M. R:L.* I. *S.* II. *C.* 7. *Schol.* §. 12. *collat. cum T.* III. *S.* I. *C.* X. §. 32.

Concludimus igitur cum Commentat. ad POTER. *Obſerv. Cent.* I. *Cap.* 25. *In omni Curatione alvus officium ſuum præſtare debet, alias illius durities, & conſtrictio, ut Morbos gignit, ſic quoque illorum Curam impedit; ſi vero internum Stimulantium uſum disſuadet Morbi & Ægri conditio, innoxii tamen Clyſteres mollientes applicandi ſunt, ut alvus ſoluta Circulationem efficiat liberiorem.*

Sed uti vix Regula ſine exceptione, ita & ex millibus Unum invenies *Act. Phyſ. Med. Vol.* IX. *Obſ.* 101. *Cui quoties ægrotaverit, conſuetum & familiare ſemper fuit, nullum, durante morbi tempore, alvi experiri beneficium, idque eventu optato, etiam tum, quando ex Purpura rubra laboraret:* ſed hic

Rara Avis in terris, nigroque ſimillima cygno: JUVEN.

Quæ cum ita ſint, Quid ſupereſt? quam ut Illorum laudemus Medendi Methodum, qui ante omnia attendunt in ſuis Curationibus, ad ſaburram ex primis viis deturbandam: ſic Medicamentis via paratur ad interiora; ſic Naturæ conciliatur locus, quo amandet craſſiora quævis, alio Emunctorio vix excernenda: & pro virili impugnemus mali quid ſemper animo effingentes meticuloſos, qui ob futiles rationes, vel in Acutis Morbis, ægrotantes per quinque dies & ultra ſine ſubductione tenent; quod ſane non poteſt non peſſimè cedere:

At tempus eſt, ut nunc, poſt tot tantaque MALA EX CRASSIS, UT CAUSSA, ORIUNDA, tranſitum faciamus ad alteram Theſis noſtræ partem, quæ fert CRASSA QUOQUE SEDEM ESSE PLURIMORUM MORBORUM.

Et hic mox occurrit, a loco nomen habens, *Colica.*

Frequentiſſimé occurrunt Hi Dolores, ex Cauſſis numero ferè infinitis, pro quarum differentia diverſæ ſpecies diverſo nomine inſigniuntur; ſed Eas omnes pro dignitate explicare vetant anguſti Diſſertationis Limites: Quædam tamen delibabo, pergens primò in conſideratione *Coli, fæcibus infarcti.*

Colica ex hac cauſſa, quæ Unica ferè Craſſis Inteſtinis propria dici meretur, ſic procedere ſolet: Venter ſi aliquamdiu ordine non

non ſucceſſerit, ſubrepit gravitatis ſenſus, cum tumore, ſenſim increscente, duro; Dolore punctorio, præcipue quidem in Inteſtino, ſed ex conſenſu cum vicinis, & partium, quibus Colon nectitur, diſtractione &c. (Vid. *Medec. de ſoi-même* l. c.) per abdomen divagante; ſuccedunt Anxietas, Dyspnœa, ſenſus Anguſtiæ, quem deſcribunt ægri, ac ſi præcordia cingulo ſtringerentur, alii reſpectu priorum Symptomatum Baculum ſibi ex transverſo Epigaſtrii hærentem fingunt; concurrunt Appetitus Proſtratio, Nauſea, Vomitus poſt paſtum; nonnunquam etiam bilis copioſa dejicitur: tum ſi in Robuſtis ſupernè, infernè, adhibeantur Laxantia, Emollientia, Solventia, Eccoprotica: externe ſimilia formâ Fomenti, Cataplasmatis, Balnei, Inunctionis, &c. in debilibus & laxis Corporibus, ubi fere Atonia peccat, Purgantia, ſic ſtricte dicta, Fortiora; ex Jalapp. Scammon. Pulp. Colocynth. aut Præparatis ex his, quæ in officinis proſtant varia; tanta ſæpe Fœcum dejicitur copia, dum interim per dies aliquot ægri vix quidquam adſumſerunt, ut obſtupescant æger & adſtantes: feliciter reſeratâ alvo, æger, utut jam ſanus videatur, purgandus tamen eſt, quin ſimilis citò redeat obſtructio; cujus quidem cauſſa videtur, 1. Collectio materiæ circa Duodenum, & Ventriculum, quam teſte Hoffmanno. *de Duod. mult. mal. Cauſſ.* §. 26. *Purgantia non aggrediuntur. nec commovent, nec promovent.* 2. Similis in Visceribus, & Vaſis, quæ ſolent, ſed obſtructionis tempore non valuêre, ſe exonerare verſus Inteſtina: jam vero

Si licet exemplis in parvo grandibus uti. Ovid.

Reſeratâ Alvo hic ſimile quid fit, quam ubi Fœtus excluditur, vel Hydropicorum Aquæ ſimul & ſemel educuntur; Tum, niſi, pro ratione ſubſidentiæ abdominis, faſciis id firmetur, omnia eò quaſi ruunt, ægerque animo linquitur.

Si vero primum hunc gradum ſuperaverit Morbus, brevi ingravescunt omnia, Abdomen intumescit valide, oberrantes audiuntur Flatus, Ructus excutiuntur creberrimi ſine levamine, anguntur horrendè, obſervante enim Sponio *Aph.* 28. *Sect.* 11. *obſtructo inferiore ventre, Flatus per univerſum corpus diſcurrunt, ut ab iis, diſtentis cum ventriculo inteſtinis, ſanguinis liber progreſſus impediatur, & ad alia, ſuperiora maximè, loca converſus, varia, eaque gravia pathemata ciëat*, hinc Inquietudines, corporis Jactationes, Vigiliæ; ex congeſtione Cephalalgia, Vertigines; Vomitus

ex Inverſo Periſtaltico motu continui, diverſæ materiæ, pituitæ, bilis, ad porraceam, vel æruginoſam usque; imo teſtantur *Acta Phyſ. Medic. Vol.* v. *Obſ.* 65. non materiem tantum fœtidam, ſed vel Ipſas Alvinas Fœces ore excuſſas fuiſſe, atque tum fere conclamatum de ægro eſt; tantis nempe turbis facilè ominoſa ſupervenit Inflammatio, citò in Gangrænam tendens, ſic cum virium dejectione, paralytica reſolutione inteſtinorum, ſudore frigido &c. brevi mors ſequitur. Viſum nonnunquam eſt Colon ex hac diſtentione & Torminibus medium crepuiſſe; Fernel. *Pathol. L.* vi. *C.* 9. Rectum Inteſtinum disruptum *Act. Med. Phyſ. Vol.* vi. *Obſ.* 65. habent. Sive jam Fœces alvinæ, ſive Calculus, Pituita, &c. penitus obturaverint canalem; vel externa compreſſio, laterum concretio &c. interceperint Cavum, Effectus erunt iidem: de his igitur non dicam.

Quæritur, An Veræ Fœces Alvinæ, ſive, quæ jam delituêre in Craſſis, iterum faucibus expelli valeant? Crediderim omnino: ſi 1. Collectio Materiæ fiat in Cœco, & proximo Ileo, ut Valvula, præter modum diſtenta, paralytica reddatur: Vid. Etmull. *prax. L.* 1. *Sect.* ix. *C.* 1. *Art.* 2. vel ſi 2. (uti fide Digniſſimus ſe vidiſſe narrat Hildan. *Obſ. Chirurg.* 61. *Cent.* 1.) Cœcum contractum ſe inſinuârit in Ileum. Hoc illud malum poneret, quo fieri poſſet, ut clyſteres, imo vel ſuppoſitoria, vid. River. *prax. Med. L.* x. *C.* 2. Ano intruſa, brevi poſt ore excuſſa viſa ſint, dum interim nihil ab ore ad anum pervenire poterat. Vel 3. ex Eo, quod in ſummo illo gradu hæc Colica ſimplex non maneat, ſed complicetur cum Flatulentâ Vagâ, ut ſatis ſuperque docent Symptomata, & Cadaverum diſſectiones, ubi Coli maxima pars fœcibus, reliquus tractus inteſtinalis flatibus diſtenta erant; Surſum nunc ſi determinentur quævis, non mirum, ſi cum Flatibus, quæ ultimo advenerunt fœces, ſurſum rapiantur; ſed ſic omnis impetus in ſolam Coli Valvulam, quia commercium Tenuia inter & Craſſa Inteſtina intercipit ſola, redundat; hinc, licet ægrè, expugnata tamen ſuccumbere & cedere tandem videtur.

Notabilis nunc illa ſequitur *Colica*, operoſe deſcripta a Clariſſ. Walther *in Diſſertat. de Anguſtia Inteſtinorum ex obfirmato Eorum habitus vitio*: & memorata titulo *Colicæ Chronicæ* ab Hoffmann. *Syſt. Med. Rat. Tom.* iv. *Part.* 2. *Sect.* ii. *Cap.* 5. §. 30.

In quo Morbo pigra obſervatur dejectio, & liquida tantum, niſi

niſi alvus Pharmacis ſollicitetur: ex levi itaque in diætâ errore miſeri hi mox Colicis cruciantur Torminibus, imo quotidie ſtatâ poſt epulas horâ, appellentibus ſcil. ingeſtis ad Stricturam, aut prominentem Tumorem inquieti, anxii redduntur; ſæpe etiam alvus in totum ſupprimitur, cum modo deſcriptis Colicæ ſymptomatibus. Plura ſi deſideras, & jure merito deſiderabis, adeas cit. Auct.

Hoc tantum addam; 1. Quoad *Morbi Naturam*: ſi compares hunc Craſſorum Inteſtinorum adfectum cum Illo, qui hodie toties crucem conſtituit vel exercitatiſſimis etiam Practicis, Artisque Medicæ fere opprobrium evaſit, a Cel. DE HAEN de *Deglutitorum in Cavum Ventriculi deſcenſu impedito*, methodice deſcripto, patebit, hos morbos loco tantum differre: lege Caſus, *Cap.* I. ibi enarratos, tum quæ ſupra notavimus de *Anguſtiâ Inteſtini ex Conſtrictione lentâ*; *Callo*, *Cartilagine*, *Compreſſione externâ* &c. & eaſdem invenies peccantes Cauſſas, quibus addere poterimus Colicas Chronicas ex Nucleo Pruni *Medical Eſſays. Vol.* I. *Obſ.* 31. ex Pituita, vid. HOFFM. ad POTER. *Obſerv. Cent.* III. *Cap.* 27. & *ll.* ibi *cc.* FERNEL. *Pathol. L.* VI. *C.* 9. vel ſimili Materiâ contentâ. 2. quoad *Effectus*: ex cognita primæ digeſtionis officina, ejusque œconomia, liquido patet, pejus hoc malum fore, ſi in Craſſis reſideat, quam in Tenuibus Inteſtinis; imo quo propius Recto Inteſtino hæſerit Conſtrictio; in Tenuibus quippe dilutiora ſunt, magis conſiſtentia Craſſorum contenta: imo & ſuperius in hoc tractu humidæ adhuc fœces facilius ſuperabunt Anguſtiam; eâque ſuperatâ, ceſſabunt turbæ, ſimulque & ſemel fieri poterit ejectio: contra ſi circa Rectum, ibi exſucca difficilius transprimentur, unde Collectio eorundum, Inteſtini Dilatatio, inferioris in ſuperius Suſceptio fient; præterea, quod excidit per Anguſtiam, mox alvum ſollicitat, unde iterato conatu, per intervalla ſæpius ad deſidendum compellitur æger.

Colicæ Biliosæ, aut Quæ ex Humoribus aliis Acribus, intra Tubum inteſtinalem hærentibus, oriuntur, quia ſæpius in Diarrhœam, aut Dyſenteriam degenerant, facile ex illorum Fluxuum Hiſtoriâ, mox tradendâ, intelligentur.

De *Pituitâ Vitreâ*, quæ Colicæ ſpecies videtur ex deſcriptione GALENI *de locis affect. L.* II. *Cap.* 5. (*Memini mihi ipſi accidiſſe dolorem vehementiſſimum, ut mihi viderer in intimo ventre terebra perforari, in illo potiſſimum ſpatio, per quod à renibus ad veſicam ſcimus*

ure-

ureteres extendi: injecto deinde Oleo Rutaeco, quum id paullo poſt excernere tentarem, excrevi ſimul cum graviſſimo dolore humorem vitreum à Praxagorâ appellatum, qui vitro fuſo tum colore, tum conſiſtentia conſimilis eſt, &c. frigidiſſimus autem percipitur ſenſu tactus, tum ipſorum, qui excernunt, tum ſi quis confeſtim ipſum tangere voluerit; Evacuato hoc humore dolor ſedabatur.) non niſi dubia proponere poſſum: nam qualis ſit, quæ dejicitur Materia, nondum conſtat: Cel. VAN SWIET. *ad* §. 71. de hac Pituita agens, quærit, an poſſit ejus origo ex Cauſſis Glutinoſi Spontanei deduci? ſed ex effectibus concludit, illam *Vitream* differre a naturali pituitâ accumalatâ; Alii, ut Torminum & Frigidiſſimi ſenſus rationem redderent, acrimoniam pituitæ naturali nimiæ addunt Acidam; Quæ quo usque valeat Theoria, determinare non auſim: rarius, ſi unquam, hodie occurrit: Quicquid ſit, Inteſtinorum ſoboles dici meretur, nunquam enim, ſic teſtantur Veteres, niſi ano excernitur, & ex GALENI deſcriptione determinamur fere ad Craſſa; verorum enim Coli adfectuum eam habet proprietatem, quod Nephritidem mentiatur; Ipſe enim GALENUS fatetur, ſe deceptum fuiſſe, dum crederet, Calculum alterutri Ureterum impactum, cauſſam doloris fuiſſe. Vid. VAN SWIET. *l. c.*

Sequuntur nunc Colicæ in ſuo genere Violentiſſimæ, quales ſunt *Inflammatoria*, *Flatulenta*, *Convulſiva.*

Inflammatoria: Si ſpectes irritantes cauſſas, ſi Effectus, "Nata, inquit, BOERH. *Aph.* §. 960. contrahit Inteſtina, cavitatem claudit, tranſitum appulſi impedit, convulſiones violentas, vomitus excitat &c". commode huc revocari poterit; ſed hanc unicè, ſatis prolixè & ratione omnium Eventuum tractavit Cel. BOERH. *Aphor. de Inteſt. Inflamm.* Ad hæc itaque relego Lectores.

Flatulenta; ſimiliter graviſſima, diſtinguitur in *Vagam* & *Fixam.* Hæc Coli ſæpius incola eſt: vid. FERNEL. *Pathol. L.* VI. *C.* X. VAN SWIET. *ad* §. 648.

Vaga: Quæ ut plurimum nomine *Torminum* venit, adeſſe dicitur, *ſi flatus*, (ex Aëre, copiâ vel elaſticitate ſuâ peccante, aut acrimoniam a putrefactione, ab adſumtis in actu fermentationis, ſibi junctam habente) *abſque murmure ullo, ſed dolorem vividum inferens, nunc in hanc, nunc in illam Inteſtinorum partem excurrat.* COMBALUS. *pneum. pathol. p.* 6. Hæc potiſſimum illa Colica eſt, quæ cum Nephritide, & ubi Calculus ſuo deſ-

cen-

cenſu per Ureteres nauſeam & vomitum infert, complicatur: Sed uti Nephritis Colicam, ſic Colon ſpasmodice adfectum Nephritidem quoque inducit: Vid. HOFFM. *Conſult. Med. Cent.* 2. & 3. *C.* II. *ſæpe obſervavi Spasmis Hypochondriacis, Hyſtericis, Cardialgicis, & immanibus ventris Torminibus mingendi difficultatem acceſſiſſe, & mitigatis ſpasmis mucidum, ac rubicundum ſedimentum, ipſum denique ſabulum cum urina redditum fuiſſe*; & ubique apud Auctores ſuper Colicâ Nephriticâ. Diſtinctionis Signa, nimis multa quam ut hic enumerarentur, vid. collecta ex Veteribus à N. PISON. *de Cogn. & Cur. Morb. L.* III. *C.* 20; & pulchre etiam à RIVER. *Prax. Med. Lib.* X. *C.* I. Eſt & hæc illa Colica, quæ in ſenſilioribus & infirmis facile recidivam patitur ex levi cauſſa, Frigore abdomini admiſſo, Refrigeratione pedum, Flatulentis adſumtis &c. quæ itidem fidus comes eſt Malo Hyſterico & Hypochondriaco. „ Dolor iſte vagus . . . ſæpe in ſiniſtro latere plus urget, ex eo „ quod in illa parte ſit quædam Anguſtia, & excrementa indurata „ a Flatu verſus illam partem magnâ cum violentiâ pellantur, ut „ non niſi magno cum dolore permeare poſſint:" vid. RIVER. *loco ſupra citato.*

Oberrantes hi Flatus niſi excutiantur, continuò Inteſtina ad reactionem ſtimulantes, facile Colicam Fixam, quam Noſtrates Clauſam vocant, producunt.

Colica Clauſa vel *Fixa* diriſſimum morbi genus eſt, ſiſtens Elaſticam Materiem, inter duo ſpasmodicè conſtricta loca incluſam, quæ calore corporis adjuta immani impetu ſuum auget volumen, eoque Inteſtinum ad crepaturam usque expandit, unde mox Intolerabiles Dolores, mox ſummi adſunt Labores; pertinaciſſima Alvi Adſtrictio, Inquietudo, Extremorum frigus, Virium proſtratio, Cordis palpitatio, Scotomia, Lipothymia, Icterus, miſerandum Ileum, (quo non tantum flatus, qui ante locum conſtrictum hærebant, ſed & ipſæ ſordes ad ſuperiora & Stomachum reprimuntur. HOFFM. *Syſt. Med. Rat. T.* III. *Sect.* I. *Cap.* 4. §. 23.) vid. COMBAL. *pneum. pathl. p.* 7. Nam a ſumma diſtentione mox validiſſima Inflammatio, omniumque vitalium humorum motu ſuffocato, ſubita Gangræna, unde poſt paucas horas in ſanis & robuſtis hominibus Mors ſequitur: vid. VAN SWIET. *ad.* §. 649. Vel ſurſum & deorſum exploſis in initio Flatibus feliciter domatur hæc Colica, aut ſi diutius perſtet, & cum Lipothymia, aut in Agone

 Mor-

Mortis, partibus jam ad emortuam tendentibus laxitatem, fiat excuſſio Flatuum, ſæpe paralytica redditur Inteſtini pars, nunquam poſteà ad naturalem conſtrictionem rediens: unde Tympanitis Species, ubi Aër, quem continuo deglutimus, præ Inteſtinorum debilitate non movetur, ſuperfluus excutitur, ſed ſtagnat, rareſcit, Inteſtina diſtendit, & Abdomen; triſtiſſimo ſane ſpectaculo, nam licet evacuares hanc materiem, ſubitò tamen recrudeſceret hoc Malum.

Cadavera illorum Hominum exhibuêre Colon in incredibile Volumen expanſum, vid. FERNEL. *pathol. L.* VI. *C.* 10. & paſſim apud Obſervatores: imo Colon diſruptum: v. exempla ex BENEVENIO allata a BONETO: *Sepulchr. Lib.* III. *S.* XIV. *Obſ.* I. §. 13. 15. 16.

Quæ omnia cùm à Flatibus cohibitis evenire poſſunt, non ſine ratione, Ventres miſeratus onuſtos Tib. Claudius Cæſar meditatus eſt Edictum, *quo veniam daret, flatum crepitumque ventris in convivio emittendi.* SUETON. in ejus vita *Cap.* 32.

Plura de his vid. apud VAN SWIET. *Comm. ad Capitul. de Ruct. & Flat.* & in Elegantiſſimo *de Flatulentis C. H. Affectibus Tractatu* F. DE PAULA COMBALUSIER.

Convulſiva: Omnes quidem Colicæ, aliæ plus, aliæ minus, Convulſivi quid habere videntur: dantur tamen ſpecies plurimæ, quæ præ aliis hoc nomen ſibi vindicant: Inſignis HOFFMANNUS pulchre has diſtinxit; *Syſt. Med. Rat. Tom.* IV. *part.* II. *Sect.* 2. *C.* 5. Qualis ſit morbus, deſcribit *Syſt. T.* III. *S.* 1. *C.* 3. § 32. *C.* 5. §. 33. *Colica Convulſiva non tantum horrendum in modum Inteſtina; ſed & alias univerſi Corporis nerveas & membranaceas partes per conſenſum exagitat, Ventriculus & Inteſtina ſurſum & deorſum trahuntur, alvus omnibus ſpretis Enematibus arctiſſime clauditur, muſculi abdominales introrſum cum umbilico ſtringuntur, ſæpius & involuntaria ſeminis ſit excretio, urina difficilius redditur, aliquando reſpiratio valde anheloſa, difficilis eſt: ingraveſcente Morbo; accedunt vertigo, ſcotomia, levior mentis alienatio, vigilia, externarum partium refrigeratio; artuum agitatio, non raro eorum reſolutio, paralyſis.* Sub hoc genere jam plurimas duxit Species; Spaſmodico-Convulſivis enim annumerat omnes illas, quæ oriuntur a Sero acri intra tunicas hærente, Scorbuticas, Scabioſas, Purpuraceas, Arthriticas, Podagricas, Rheumaticas, & ex male curatis Febribus,

quo

quo & referas Bilioſam alteram RIVERII *Prax. L.* x. *C.* I. 2. Huc pertinent, quæ à ſanguine huc verſus congeſto divexant; ex menſibus ſuppreſſis Hyſterica, (diverſa hæc HOFFMANN. Hyſterica eſt ab illa SYDENHAMI *Sect.* 4. *C.* 7.) Hæmorrhoïdalis, cujus exemplum notabile, evincens, quod merito ad hunc locum referatur, exſtat apud HOFFMAN: *Syſt. T.* III. *Sect.* I. *C.* 9. §. 18. & ex ſuppreſſis Lochiis &c. 3. Colica Saturnina; quæ affligit potiſſimum eos; qui mineras Plumbi igne tractant, ejusque fumos improvidè hauriunt, quæ quidem omni dote convenit, cum Colica Pictonum. 4. Endemiam Colicam Moraviæ, Auſtriæ, & Hungariæ, ex Vinorum valde Spirituoſorum in iis regionibus potu & abuſu, accedente ſimul Corporis refrigeratione. Similem Endemiam obſervavit LINNÆUS *Flor. Lappon. p. m.* 69. *Morbo*, inquit, *ſæpius laborant Lappones Sylvatici vehementiſſimo, Ullem vel Hotme dicto, ſpecies Colicæ eſt, proxime ad Colicam Spasmodicam* SCHEUCHZERI *accedens: (vid. Ejus Iter. Alpin. prim. p. m.* 14--20.) *Corripiuntur enim Interanea circa Regionem Umbilicalem Spasmis diriſſimis, qui ſe extendunt ad pubem usque, paroxysmis parturientium ſane vehementioribus, ita ut miſer Lappo, vermis inſtar, repat per terram, & Urinam ſæpe ſanguinolentam reddat, ... poſt aliquot horarum, aliquando diei ſpatium reſolvitur ptyalismo ingenti, per quadrantem horæ durante: Dicunt Ipſi, quod hic Morbus in Alpibus eos non adgrediatur, ſed tantum, dum in ſylvis per æſtatem degunt.*

Hæ omnes Colicæ ſpecies difficulter admodum eradicantur, quia fomitem tectum agnoscunt, non in Inteſtinali Tubo; ſed in Tunicis ſenſiliſſimis delitescentem; prudenti tamen Medicorum auxilio, & ſi ægri audientes ſint, ſibique quam ſollicitiſſime caveant, non numquam ſuperatur hic Morbus; alias remittit quidem, (rarius enim, niſi inflammatio aut peſſima ſuperveniant Symptomata cito necat) ſed ex levi cauſſa recidivam patitur, eoque in deterius ruit; videntur quippe Inteſtina Diſpoſitionem quandam contrahere ad hos motus Convulſivos, quam ſi pro tempore

Expellas furca, tamen usque recurrit.

Nulla fere alia pars eſt, cui hoc magis familiare eſt præ Inteſtinis: Motum v. g. Periſtalticum etiam exempta de corpore vivo ſervant ſat diu: Ex Pedum Refrigeratione quis perſentiat

tiat Tormina, mox pedes calefiant, dolor nihilominus perſtat. Ex Diarrhœa aut Dyſenteria, excuſſa licet cauſſa materiali, manet continuo deſidendi appetitus, Teneſmus &c. Ita & ex Convulſivis Motibus videntur Inteſtina ſenſilitatem contrahere, ut leviter ſtimulata, mox priſtinos excerceant motus.

Hactenus de Colicis: Unicum tamen hoc quæro: Quid cenſendum de Colica Pictonum? An eſt Species ſingularis Colicæ? Vix vero ſimile hoc eſt; Si attendas ad Proëgumenas, ad Procatarcticas Cauſſas a Cel. de HAEN *Tract. de Colic. Pict. p.* 14. 15. & *Cap.* 2. §. 2. recenſitas; Si ad Signa & Symptomata, ibid. *Cap.* 2. §. 1. & 7. Omnia clamant, Pictonum Colicam ad Spasmodicas HOFFMANNI referendam eſſe; nam & hæ quandoque in Pareſin terminantur; Imo forte graviſſimæ quævis aliæ Colicæ ſerius ocius Artuum Reſolutionem relinquere poſſunt. Suspicari hoc utcumque licet, ex Nominum diverſitate, qua deſignantur Colicæ in Pareſin deſinentes a Veteribus, forte etiam Serior Ætas hoc confirmabit; Vel ex Eo, quod his fœcundis culpæ ſeculis ubique occurrat, qui Veteribus non adeo obſervabatur, Morbus, ut vel Hujus reſpectu veriſſimum ſit illud HORATII

Ætas Parentum pejor avis, tulit
Nos nequiores; Mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Pertractatis illis Morbis, qui ex Fœcum Diminuta Expulſione oriuntur, aut Hanc comitem habent: Nunc ad Vitium Contrarium, *Auctam Expulſionem* accedimus: Sub hoc vexillo multi militant Affectus, Diarrhœa, v. g. Cholera, Lienteria, Paſſio Cœliaca, Fluxus Hepaticus, Dyſenteria &c. Sed Inſtituti noſtri ratio tantum fert, eos proponere Morbos, qui Cauſſam ex, vel Sedem in Craſſis habent; Non igitur omnes illi Fluxus hujus loci ſunt; Alii enim turbas in toto fere Primarum Viarum tractu, Alii Vicina Viscera, male ſe habentia, ſupponunt; Craſſa igitur tum nonniſi Expulſionem conferunt Auctam, quam pertractavimus.

Superſunt itaque *Diarrhœa*, & *Dyſenteria:* Ut brevis ſim, deſcribam præſertim hos Affectus, quatenus nimiam Coli per Fœces Repletionem ſequi ſolent, & ad hanc normam judicium de aliis ferri poterit.

Si ſtagnaverit Foex in Craſſis, ſuperveniatque Diarrhœa, ut fieri no-

notat Hippocr. *Si Dejectiones tertio tantum quartove die, aut ex longiori intervallo prodierint, periculum eſt, ægros Alvi Profluvio corripiendos eſſe. Prædict. L.* ii. *C.* 4. Hæc ſæpe remedio eſt Morbis, in ſuperiore Sectione recenſitis: ideo, *In alvi perturbationibus, ſponte evenientibus, ſiquidem, qualia oportet purgari, purgentur, confert & facile ferunt.* Hipp. *Aph.* 2. *Sect.* i. iterum *Aph.* 25. Addit autem & merito: *Sin minus, contra*: Limitata igitur hæc erit *Diarrhœa*, terminos definit Latiniſſimus Celsus *L.* iv. *C.* 19. *Uno die fluere alvum ſæpe pro valetudine eſt, atque etiam pluribus, dum febris abſit, & intra ſeptimum diem id conquieſcat; purgatur enim Corpus, & quod intus læſurum erat, utiliter effunditur. Verum Spatium periculoſum eſt, interdum enim tormina ac febriculas excitat, viresque conſumit:* Quapropter ſi Alvus, quæ hactenus cum euphoria fluxit, indies impetuoſius ruat, aut lento gradu juſtum excedat ſpatium; Caterva malorum imminet: 1. Habitualis redditur hæc Diarrhœa: id enim de natura Inteſtinorum eſt, ut concepto motui adſueſcant, eundemque rythmum continuent diu: Humoribus illa lex eſt, ut ruant impetuoſe, ubi minor reſiſtentia: Vaſa interim continuo hoc affluxu majori laxantur, macerantur: Conſpirant hinc in ægri perniciem tres potentiſſimæ Diarrhœæ cauſſæ, & effunduntur, non qualia oportebat purgari, ſed liquida ſanguinem diluentia, humores ſecreti, illique, qui nutritioni inſervire debuiſſent: Hinc illæ lachrymæ! Hinc tota apparet turbata œconomia, Pallor in ore, Frigus, Collapſus omnis corporis habitus, ſudoris, perſpirationis, urinæ Interceptio, Sitis inexplebilis, Febricula lenta; dum omnia ad ventrem concentrantur, naſcuntur Vertigines, Lipothymia, Syncope, Debilitas ſumma, Atrophia, horrida Macies, tandem ex Inanitione Convulſi moriuntur Ægri: ſed aliquando prius Vaſorum in habitu corporis deficit robur, vel, ceſſante Diarrhœa, ex vaſorum abdominalium laxitate, mutata tantum ſcena, quæ prius effluxêre, nunc in Ambitu aut Ventre ſtagnant: ſic

Creſcit indulgens ſibi dirus Hydrops. Horat.

tum evenit illud Cels. *l. c. ut Ventris Fluxus, pluribus diebus neglectus, curari difficilius poſſit;*

2. Ut monuit Idem Latinus Hippocrates, *Tormina ac*

Febriculas excitat: Notandum, quod Tormina Celſi *Dyſenteria* Aliorum ſint; Vid. *L.* IV. *C.* 15. Hæc fit, quando, deraſo Inteſtinorum muco villoſam inungente, tunicæ arroduntur, & motu Inteſtinorum, quæ in vivis, longe ſecus quam in mortuorum cadaveribus, contracta, & turgida ſunt, ſibi adfricantur, hinc fere excoriantur, vividumque dolorem excitant parietes ſenſiliſſimi; ſic Alvi Fluxus cum Moleſtia quadam, in Dyſenteriam, ſive Torminoſam abit Diarrhœam. Quod hic Fluxûs diuturnitate fit, vel mox excitatur, ſi, quæ ſtagnat Saburra, undecumque allata, Acris, non obſtante muco, aut eodem ſimul corrupto, parietes exedat, inflammet; tum ſæpe, priusquam Fluxus ingruit, graſſatur Colica, qualem, quia ſæpius a Bile Corrupta ortum trahit, Bilioſam vocant; Hæc Tormina; accedens Fluxus putridæ materiæ Diarrhœam facit, illa ſimul ſumta Dyſenteriæ ideam abſolvunt; Non enim ad illius Eſſentiam requiritur Sanguinis in Dejectionibus præſentia, nam exſtirpatis artubus, ſuppreſſis hæmorrhagiis, in genere plethoricis quandoque Cruenta absque Torminibus ſupervenit Diarrhœa. Vid. VAN SWIET. *ad* §. 721. nullo titulo ad Dyſenteriam referenda; Vis enim Vocis id non fert; ſæpe tamen fit, ut putridam & mordacis materiæ Dyſenteriam ſequatur, eroſis vasculis, Cruenta; illam Purulenta, Ichoroſa, Cineritia; *&c.*

Ex generali hac Dyſenteriæ idæa patet, vix dari ſpeciem Ejus, quæ omnis periculi expers eſt, nam ſemper minatur ominoſam Inflammationem; Quamdiu hæc nondum adeſt, Benignior Dyſenteria dici poſſet, ſed quatenus, ut Diarrhœa, Corpus exhaurit, imo potentius, habeatque Vividos ſibi comites Dolores, intelligitur, quod ſimilia & graviora poſt ſe trahat Mala; In genere; hic Dejectio Copioſa eſt, aliquando Nauſea & Vomitus, Sitis intenſima, Anxietates notabiles, Vigiliæ perpetuæ, Febris valida, haud raro exanthematoſa, ſumma Debilitas, Aphthæ, Singultus, Convulſiones ſuperveniunt, donec tandem Mors tragœdiam claudat. Sed habet hoc Dyſenteria Benignior, aliquando etiam Diarrhœa, *Quod, ſi graviora jam in loco altiori ceſſarint Symptomata, & Morbus tamen in longum trahatur, tandem Inteſtina ordine quæque ſuo, deorſum verſus adfici videantur, donec in Rectum Inteſtinum malum omne detrudatur, & in Tenesmum deſinat: quo facto dejectiones mucoſæ eo tantum tempore inferiori Inteſtino moleſtias creant.* vid. SYDENH. *Sect.* IV. *Cap.* 3. monet itaque RIVER. *Prax. Med. L.* X.

C. 7. Teneſmus & Dyſenteria ejusdem naturæ ſunt, easdem habent generationis cauſſas, ut tota eorum differentia in loci adfecti diverſitate conſiſtat: Inde iidem Effectus, Recti inflammatio, Ani prolapſus &c., qui ex Teneſmo fiunt, etiam ex Dyſenteria oriuntur.

Hæc pro noſtro ſcopo de *Aucta Expulſione* dicta ſufficiant.

Sequitur *Depravata*: Quam præcipue ex Inteſtini Recti Vitiis oriundam conſiderabimus; Et mox in feraci hoc morborum Plaga nobis ſeſe offerunt

Hæmorrhoïdes: Sic vocantur Inſtans quaſi Profluvium, vel Fluxus ipſe Sanguinis ex vaſis Inteſtini Recti, aut Ani: hinc etiam diſtinguuntur in *Cœcas*, & *Apertas* ſive *Fluentes*; Ratione autem loci in *Internas*, & *Externas*.

Vaſa, quæ hunc ſanguinem fundunt, præcipue ſunt Venoſa: Conf. Boerh. *Prælect.* §. 112. & Hall. *ad h. l. not.* 17. de Vaſis Hæmorrhoïdalibus. Vid. *Cap.* 1.

Fluxum hunc præcedunt ſimilia fere Symptomata, ac Menſium Eruptionem: Murmura, Borborygmi, Tenſiones circa Hypochondria, Collapſus Corporis Habitus, Frigus, Arteriarum pulſatio, maxime circa lumbos, ubi & dolor percipitur, Alvus Conſtipata ſæpe, cum Senſu urentis caloris in Recto Inteſtino; Quæ cum Eruptione ſanguinis Senſim ceſſant.. Sed ſæpe Fluxus loco oriuntur *Varices* Externæ, Internæ, ſive Cœcæ Hæmorrhoïdes. Exquiſite Dolentes hæ ſunt, (unde & Furentes nuncupantur) nam ex aggeſtione, & ſanguinis impetu ad hæc loca, ſæpe Inflammatio ſuccedit, hic æque doloroſa, quam in aliis Inteſtini locis: confer Boerh. *Aph.* §. 963. Senſum inferunt, ac ſi Anus ferro candenti perforaretur, totum corpus in conſenſum trahunt, præcipue vicinas urinæ Vias, Uterum; Teneſmum quoque inducunt: Propter dolorem, tumorem &c. Alvi depoſitionem intercipiunt, unde nova mala; Fœces ſi tamen urgeant, & cum impetu transprimantur, horrendi excitantur dolores & tormina, ut ſæpe Ægri in Animi deliquium incidant, (*quod vidit, quoties Ægra alvo excernebat, cum faciei tumore, rubore, incalescentia ſtipatum eveniſſe*, Etmull. *Tom.* II. *p.* 377.) vel convellantur; aut disruptis vaſorum Protuberantiis, impetuoſa ſequatur Hæmorrhagia, ſua iterum mala poſt ſe trahens. *Lethalem disruptionem Venarum Hæmorrhoïdalium* vidit Hoffmann. *Syſt. Med. Rat. Tom.* III. *Sect.* I. *C.* 7. §. 33. Partibus vicinis, ſi forte per ſe non adeo doleant, incom-

commodæ ſunt, impune enim non ferunt preſſionem, ut vel hinc *Fœminam*, *viro aptam*, *inhabilem reddiderint Hæmorrhoïdes Internæ. Medical. Eſſays. Vol.* II. *Obſ.* 27. Externæ quoque Tumentes circa ani Limbum maxime moleſtæ, nam corporis Exercitium imo Seſſionem & Inceſſum impediunt.

Inflammatio, vaſorum Disruptio, &c. niſi ritè tractentur & circumſpectiſſimè, quia acris hic alluit humor, locus ſæpe dilatatur, Inteſtinum in molli jacet pinguedine &c. ſubito in Suppurationem, Exulcerationem, (Caſum vid. *Act. Phyſ. Med. Vol.* VI. *Obſ.* 4.) in Abſceſſum, Ani Fiſtulam, (*ibid. Vol.* VII. *Obſ.* 106.) tranſeunt.

Si jam præceſſerint, quæ ingruentes notant Hæmorrhoïdes, commodusque ſequatur Fluxus, ille ſæpe ſanitati præſidio eſt, & corpus præſervat a multis, ex Plethora oriundis, morbis; unde Hæmorrhoïdalis vena titulo Venæ Aureæ ſuperbit: Conf. HALL. ad BOERH. *præl.* §. 112. *Not.* 14. & STAHLIUM ibi citat: Nocere tamen poteſt Exceſſu, ſequunturque ſimiles effectus, ac ab aliis Hæmorrhagiis Immodicis, Laſſitudo, Virium proſtratio, ex inanitione Convulſio, vel Pallor, Cachexia, Hydrops, Mors.

Suppreſſionem quoque non fert Natura, ſed vel alias ſubſtituit Excretiones, vel à retento Sanguine ſanitas & Vita periclitantur:

Secundariæ Excretiones Variæ ſunt, ſic I. Cœcas Hæmorrhoïdes non raro excipit Fluxus quidam, ſimilis quodammodo Fluori Albo, vocatur hinc *Hæmorrhoïs Alba*; excernitur quippe ex tuberculis in, & circa Rectum, Liquor quidam Mucoſus, inſtar albuminis ovi, ſtriis ſanguineis aliquando notatus, aliquando non, cum Teneſmo leviori, vel graviori; Turbæ in abdomine ſimiles fere, ac ubi Veræ inſtant Hæmorrhoïdes, præcedunt: 2. Cœcas Externas ſequuntur nonnunquam *Ulcuſcula Serpiginoſa Circa Anum & Scrotum*, lata, ſuperficiaria, ichorem ſtillantia: Utraque hæc Excretio it nonnunquam, reditque periodice, cum Doloribus vagis circa Anum & Veſicam; ubi non comparet, Coxæ, Lumbi, Artus doloribus Arthriticis vexantur. De His potiſſimum vid. STAHL. *Tract. de Hæmorrhoïd.*: 3. Alias fiunt Excretiones Variæ Sanguineæ, Hæmorrhagiæ Narium, Hæmoptöe, Cruenta Diarrhœa, ſimilisve Mictus; aut ex Habitu Corporis ſanguis exprimitur. *Valde enim mirabiles facit hæc ſuppreſſio Hæmorrhagias* BOERH. *Inſtit. Med.* §. 775.

Vel

Vel naſcuntur Varii Morbi, quorum alii Cacochymiam, alii Plethoram Sanguineam teſtantur: 1. ex Cacochymia ſequitur Similis Cachexia, ac a Menſtruis ſuppreſſis, Chloroſis: natis nempe; præcipuè circa Viſcera Abdominalia, frigidis lentisque Obſtructionibus, turbantur Actiones omnes; Unde Laſſitudo, Virium defectus, Morbique frigidi, Lethargus, Apoplexia, Aſthma, Leucophlegmatia, Hydrops, aliquando Cutis Defœdationes, Ulcera Cacoëthea, Arthritis, Podagra &c. 2. Si vero Fortiora Vaſa reagant, & ſuprapondium ſanguinis aliorſum pellant, ſubito gravia ſuperveniunt Symptomata, Apoplexiæ, Pleuritides, Peripneumoniæ, Aſthmata, Hepatis Inflammationes, Colicæ, hinc Hæmorrhoïdales dictæ, Hypochondriaca Mala Flatulenta, Nephritis, Iſchuria, cujus caſus Lethalis exſtat *Act. Phyſ. Med. Vol.* IX. *Obſ.* 36; (Et *Iſchuria Lunatica* Tulpii *L.* II. *C.* 43. hinc explicari poſſet) quandoque Mania, Melancholia.

Pleraque hæc Symptomata recenſet Hoffman. *Syſt. Med. Ration. T.* III. S. I. *C.* 4. §. 16. & *C.* 9. §. 14. *& ſeqq.* Exemplisque confirmat.

Inflammatione porro tentatur quandoque Rectum Inteſtinum: quæ autem ex hoc fonte profluunt Mala, ſatis ex Cœcarum Hæmorrhoïdum pertractatione intelligi valent.

Ani Fiſtula ſæpe uno orificio vel pluribus hiat in Recto Inteſtino, pus, ichorem eructantibus, unde Excoriatio, Roſio, Inflammatio, Ulcus, Teneſmus &c. ingruunt.

Frequenter etiam Recto circa anum innaſcuntur *Tumores*, *Excreſcentiæ*, quæ pro formæ diverſitate diverſa nactæ ſunt Nomina; vocantur *Condylomata*, *Ficus*, *Mariſcæ*, *Thymi*, *Fungi*, *Criſtæ*: &c. Quæ quidem omnes ſunt Tumores Carnoſi, Sanguinem, Serum &c. includentes; alii præ aliis magis doloroſi, magno ſæpe homini ſunt incommodo; Seſſionem, Inceſſum, Excercitia haud parum impediunt, Fœcum excluſioni magnam creant difficultatem, non raro ſic Attriti Inflammatione corripiuntur, preſſo pede ſequentibus Gangræna, Cancro &c.: plura quoad diſtinctionem horum Tumorum vid. apud River. *Prax. Med. L.* x. *C.* II. Curationem apud Heist. *Inſtit. Chirurg. Part.* II. *Sect.* V. *Cap.* 165, qui Hos Narium Polypo adſimilat.

Ani Procidentia ſequitur: Hoc morbi genus pulchre nobis ideam dat modi, quo Intuſſuſceptio fieri poſſit: Hic Rectum Inteſtinum,

aut, uti cenſet Cowper *Anat. C. H. Tab.* xxxix., Interna potiſſimum Inteſtini Tunica, Confer. *Act. Erud. Lipſ. A.* 1699. *p.* 53. vi propulſa, Ani clauſtra perrumpit, aut, his paralyticis redditis, prolabitur tantum, & ex Ano ad majorem minoremve, aliquando ad pedis, cubitive longitudinem, Inverſa propendet, vid. Heist. *l. c. Cap.* 164. Aquapend. *Operat. Chirurg. Cap.* 89. & ibi *ll. cc.* Si mox reponatur, & rite foveatur, non multum in receſſu habet, ſi vero non reſtituatur, accedatque Hæmorrhagia ex Vaſis Hæmorrhoïdalibus, aut Teneſmus, circumſpectione opus eſt: Pejor eſt, ſi acute doleat, & à Vi illatâ, Acceſſu liberioris aëris, Compreſſione a Seſſione, Attritu ab Ambulatione &c. accedat Inflammatio, mox enim Anus tumet, & conſtringitur Prolapſa Pars haud aliter, quam Inteſtina in Hernia incarcerata: ſic impeditur Reſtitutio; & in Gangrænam tendit & Cancrum: aliquando Chronicum eſt hoc Malum, ſi à Paralyſi; & toties procidit, quoties ano excernitur Fœx; Difficillima tum eſt Curatio.

Tandem in Recto Inteſtino conſidero *Aſcarides.* Sive Vermes exigui, & teretes; Hi potiſſimum ſoli Inteſtinorum Craſſorum domicilio utuntur; ſingularem plane Sententiam de Vermium Oeconomia fovet Santorini *Obſ. Anat. Cap.* 9. §. 9. *nihil,* inquit, *in nobis temere conſtitutum eſt, quod & de Lumbricis dicendum, ideo eorundem & fotui & excluſioni idoneum natura comparavit locum, Vermiformem Appendiculam, ut tenuia ea Animalcula ibi tuto, velut in angiportu degant, ne ab Inteſtinorum motu, fœcumve voluminibus rapta, ad inferiora citius devolverentur* &c. Cui ſi fides habenda, & Tenea & Rotundi Lumbrici Inferioris hujus Tractus Cives ſunt, ſed potius hanc Sententiam Suo relinquimus Auctori: Plurimorum ſuffragio aſſerimus, Aſcarides potiſſimum hoc graveolentum quærere Hoſpitium; ut, vel ſparſim ibi degant, vel (uti frequentius) confertim Recto inſideant, illudque motu ſuo, ſuctione & roſione irritent, unde vix tolerabilis in ano Pruritus eſt, qui potiſſimum circa Noctem divexat, vid. Etmull. *Oper. T.* ii. *p.* 386. quod confirmat Pechlini *Obſervatio* apud Manget. *Biblioth. Med. Pract. T.* iv. *p.* 869. An vero hoc ex Lunæ phaſibus deducendum, ut adſerit Etmuller. ex Bartholino dubito: porro Fernelius *L.* iv. *Pathol. Cap.* 10. *Notat, Aſcarides nonnumquam ex Ano emergere, & in femora nateſque ſerpere,* unde monet Hoffmann. *Syſt. Med Rat. T.* iii. *S.* i. *C.* 7. §. 54. *Ne, ſi cum Urina deſcendant, putes, Eos*

in

in Veſica natos eſſe, quia haud raro ſe Muliebribus inſinuant: Hic Pruritus valde incommodus ſenſilia Corpuſcula (nam Pueris & Infantibus maxime familiares ſunt *Aſcarides*) in conſenſum rapiunt, concutiunt, ut vel hinc Epilepſiam natam viderit Jessenius apud Schenkium *Lib.* iii. *Sect. de Aſcarid. Obſ.* 2. alii in Syncopen incidunt; ſæpius hinc Nauſea, Vomitus, Abdominis Inflationes, Teneſmi validi, & mira alia Symptomata producuntur: perSuppoſitoria aut Clyſmata manipulatim ſæpe ejiciuntur, ſed utut Puſilla Gens eſt, ipſoque in limine degit, expurgatu tamen difficillima eſt, ideo Fuller dicit, *non tanti erit parentes ſolos proſcripſiſſe, niſi inſuper & natos & ſemina ipſa radicitus exſtirpentur, quod fiet, ſi his jam disparentibus, tertiis tamen quartisve diebus, dein ſemel in hebdomade Amara injicias Clyſmata:* vid. Allen *Synopſ. Med. Pract. C.* vi. *Art.* 89.

Agmen claudat, ægros mire fatigans *Teneſmus:* Hunc variis ex cauſſis ortum vidimus, nunc qualia inducat Symptomata viſuri: Quorum intellectui multum lucis adfundet conſideratio naturalis Teneſmi: quem deſcribit Kaau Boerhave *Impet. fac. Hipp.* §. 454. *Fæces Alvinæ aggeſtæ irritant nervos, oritur conſenſus in muſculis egeſtioni dicatis, inde illorum ſpasmodica & violenta contractio; nec illi ſoli, ſed totum rapitur ad hanc actionem corpus in conſenſum, anima retinetur, tument venæ* &c. Hic Naturalis, Morboſus autem Teneſmus eſt continuus Conatus deſidendi, ita tamen, ut validis nixibus nihil tamen excernatur, niſi vel tantillum Muci, Sanguinis, Puris, &c. Continuò igitur totum in Conſenſum Spasmodicum rapitur corpus, & obtinet idem, ac ſi homo Craſſis, fœcum receptaculo, careret Inteſtinis: Interpellatur perpetuo; ut nec aliud quid agere, nec cogitare valeat, ne ſomnum quidem capere: ſolæ nempe Alvi Excretiones ipſi conſlant continuum negotium: Hinc igitur varia Mala, vel circa Locum affectum, vel in omni Corpore: Emunguntur Glandulæ muciparæ, abraditur naturalis Pituita, Parietes nudi ſibi adfricantur, exſtillat Sanguis, inflammatur Rectum, Dolor acris naſcitur, (eoque gradu cauſſæ Teneſmi multiplicantur) ſuppuratur, gangreneſcit Tunica Interior, pus fundit, exulcerata cadit, uti notat Tulp. *L.* iii. *C.* 17. Continuis conatibus in Rectum redundantibus, tandem prolabitur Inteſtinum, & ſequuntur ſupra deſcripta Mala. Corpus totum peſſime quoque inde habet, uti ex Diarrhœa; pallent, frigent, emaciantur, & ſummopere debilitantur homines: uti ex Hippocrate notat van

Swiet. *ad* §. 721. *Debilitas in Diarrhœa non tantum ab inanitione, verum etiam inde naſcitur, quod frequenter alvum excernere coactus Æger delaſſetur, nec ſomnum capere poſſit, licet parum ſimul excernat*; neque mirum eſt, ſi a tantis laboribus Febris accendatur gravior, aut lenta corpus depaſcat, imo quod terminetur in Convulſiones & Mortem. Sic Boerh. *Præl. ad Inſtit.* §. 109. *Perpetuo Teneſmo excerciti Indiæ Utriusque Incolæ, quem Morbum* Perse *vocant, continuo cacaturientes per vias deſidunt, inutili conamine, donec miſerrime pereant, ſuccedentibus Artuum Convulſionibus.* Ex Bont. *Hiſt. Natur. & Med. Ind. L.* II. *C.* 6. Jure igitur meritoque Galen. *L.* v. *de uſu part. C.* 4. Teneſmum morbis, qui Ventri accidunt, graviſſimis annumerat: neque obſtat Celsi locus *L.* iv. *C.* 18. *Teneſmus facile tollitur, neque unquam per ſe jugulat*: id quod veriſſimum, ſi in abſtracto nullis gravioribus ſtipatus Symptomatibus conſideretur, præterea ſi id reſtringas ad Corpora laxa Infantum, nam ex Sydenhami, Obſervatione *Sect.* iv. *C.* 3. „ *Infantibus perbenignus Teneſmus eſt, qui ad menſes aliquot ab* „ *eodem quandoque afficiuntur, ſine quovis incommodo, modo res naturæ* „ *permittatur.*" Non tamen periculo vacat, nam *ibid. Hic* (inquit) *Morbus Adultis, maxime Grandævis, haud raro exitialis reperitur*: talis quoque erit, ſi ſuperveniat Exhauſtis à Diarrhœa, & Dyſenteria; Peſſima quoque Prognoſis, ſi Mulieri in Utero gerenti; nam juxta Hippocr. *abortire facit*; & ſupra dedimus Exempla: Nec longe petenda ratio, modo Nixus ad Alvi & Fœtus Excluſionem comparentur; ſunt iidem fere; Scite hinc monet Boerh. *Prælect. l. c. Simillimi ſunt Conatus ad fæcum ejectionem parturientium doloribus, Matresque non adeo dolores veros, ſed intolerabiles conatus patiuntur.*

Sic Adſerti veritatem demonſtrare annifus ſum; Quid præſtiterim, judicare Tuum eſt, B. L. Addere deberem Curationes, ſed Illa obiter tractare, quæ Artis ſcopum abſolvunt, religio foret; nec tamen aliter in tanta Morborum Segete poſſem: Et, ſi quid video, Ohe Libelle! Ohe jam

SATIS EST!

N O-

NOBILISSIMO JUVENI,

DAVIDI VAN ROYEN,

CUM MEDICIS ADSCRIBERETUR.

Æthereum, Medicina, datum, vitæque caducæ
Optima res, multis anteferenda bonis;
In ſenibus tardis male firmos protrahis annos,
Et das Tartareum ſerius ire vadum.
Per te luctantes morbo macieque reviſit
Carior Attalica conditione ſalus.
Quid Tyrii proſunt thalami ſine corpore ſano?
Artubus heu laſſis nox vigilanda venit!
Non placidi fontis ſonitus, non ſtragula picta,
Non miſeram tabem pellere pluma valent.
Gratia, Phœbe, tibi. Primus non carmina ſola
Diceris, & blandam diſpoſuiſſe lyram:

G   *Tu*

Tu vires Medicæ monſtraſti gentibus herbæ,
Mortalem admittens ad ſacra tanta manum.
Rumpere, rex Erebi ſqualentis: ſcilicet illo
Munere ſunt regni jura minora tui.
Nunc, quodcunque ſinu fœcundi naſcitur horti,
Et recreat ſucco languida membra, patet.
Artibus his Tibi cura fuit ſacrare juventam,
ROYENE, antiqui Sanguinis alter honos.
Sic, Patrui celebris veſtigia clara ſecutus,
Impiger heroa ſcandis ad alta via.
Maſſa Promethei hinc facta eſt Tibi cognita limi;
Recluſa hinc oculo corporis arca Tuo.
Quæ tam pervigiles poſſint ſperare labores,
Omine felici lux hodierna canit.
Gaude, Leida, virûm nutrix: tua fama, decusque
Perget ROYENIS creſcere nominibus.

BARTHOLOMÆUS SIEBEN.

N O

NOBILISSIMO JUVENI,

DAVIDI VAN ROYEN,

CUM SOLENNI MEDICI TITULO IN ACADEMIA LUGDUNO BATAVA ORNARETUR.

Sit laude dignus, quisquis in artibus
 Tempus colendis aſſidue terit,
  Sint magna vere prædicanda
   Præmia, quæ labor ipſe confert:

Sed tollit altum gloria verticem,
 Creſcit voluptas, Stemmate nobili
  Si cretus, & cenſu beatus
   Dona animi generoſus ornat.

Hic aptus amplis fulget honoribus,
 Vitamque vivit civibus utilem,
  Virtute majorum paratas
   Auget opes, meritoſque plauſus.

Idemque tutus, quæ dederat, bona,
Fortuna raro fida clientibus,
Cum rebus aufûgit ſiniſtris,
Sorte ſua locuples reſignat.

Et (dum caduci robora corporis
Mentemque perdit, qui rudis artium
Sectatur inſano furore,
Quæ jubeat ſceleratus ardor.)

Huic norma virtus, qua domitor ſui
Fortis triumphat viribus integris,
Nullaque ſervans inquinatum
Labe animum ſine fine gaudet.

ROYENE, magnis orte Parentibus,
Quos grata Leidæ poſteritas canet
E Stirpe natos Conſulari
Præcipuos meruiſſe honores.

ROYENE, Tantis Te ſimilem Viris
Virtute præſtas; & potior Tibi
Eſt viſa præ ſegni juventa
Cura bonæ ſtudioſa mentis.

Te prima vitæ tempora litteris
Dicare juvit, nec labor improbus
Defecit ardorem parantis
Ingenio decus & triumphum.

Te mira noſtri fabrica corporis
Dextram potentis Numinis arguens
Delectat, herbarumque vires,
Et varios dediciſſe morbos.

Hæc

Hæc cuncta magnos cum PATRUO Duces
Nacto, dabatur noſcere, GAUBIUM,
WINTERUM, & ALBINOS, remotis,
Nomina, quæ celebrantur oris.

His digna curis præmia gratulor
Reddi: Medentum pro meritis choro
Adſcite, creſcas laude, & addant
Parta novos ſtimulos tropæa!

GALLOS & ANGLOS viſere geſtiens
Felice tendas omine comprecor,
Augensque præclaram recenti
Notitiam potiare lauru!

Ornare ſpartam continues redux,
Funeſta pellens agmina febrium,
Juſtæque mercedes ſequantur
Proficuos Patriæ labores!

Quæcunque mundi Te teneat plaga,
Virtus amicos conciliet Tibi,
Et vota ſuccedant, meique
Si merear, meminiſſe pergas.

J. H. VAN GROIN.

NOBILISSIMO JUVENI,

DAVIDI VAN ROYEN,

MEDICIS ADSCRIPTO, FELICITER.

Sic eſt. Continuos ſtudiis ſacraſſe labores,
Et mentem variis perpoliiſſe modis;
Sumere, quos tantum dignis dat Phœbus, honores;
Quæſitum meritis conciliaſſe decus;
Firmo mox animo peregrinas carpere lauros,
Sequana ubi raras largâ recludit opes;
Auguror hinc; talis cum Te ſatiaverit ardor
Ditandi externis pectora divitiis;
Leidaque Te, claris doctrinæ dotibus æquans
Pariſios, totum vindicet una ſibi;
In ſummis Medica, quos Patria jactat, ab arte,
Omine felici conſpiciere Viris.

B. DUTRY.

NO-

NOBILISSIMO JUVENI,

DAVIDI VAN ROYEN,

MEDICINÆ DOCTORI CREATO, ET IN GALLIAS PROFICISCENTI,

PROPEMPTICON.

At Tibi firma manet lævæ ſententia mentis,
Hei! procul a patria degere, Care, Tua.
Crede mihi, certe non tota Lutetia tanti;
Nec tanti cultas viſere Verſalias;
Ut Tibi ſuccurrat Batovos mutare penates,
Donaque Leidani tot pretioſa ſoli:
Quidni Te retrahunt fidi, ROYENE, ſodales,
Parva, ſed officiis cognita turba ſuis?
Quidni Te retinet magni ſacra cura Parentis?
Aut Te cogit iter ſiſtere Fratris amor?
Tene nihil tangunt ſanctæ ſuſpiria Matris,
Teque ſuis lacrimis bina ſecuta Soror?
Debueras certe curſus inhibere, ſenectus
Grandævi in mentem quum Tibi venit Avi.
Forſitan Huic oculos (avertant omina divi)
Non poteris mœſtus compoſuiſſe Nepos.
Tunc Te terrebit Stygiis ululatibus ales,
Inſidens tectis, nocte ſilente, Tuis.
Abſit; vana loquor; ſtultus nova crimina fingo,
Inque Tuos timeo carmina ſcæva lares.
Da veniam querulo vati, inconſulta loquenti:
E nimio peccat natus amore dolor.
Quin age, carpe viam, quo Te bonus excitat ardor;
Hoſpitii & faciles experiare deos.

Sic

Sic Atlante ſatus faveat; ſic Pleiades udæ;
  Sic faveat Medicæ præſes Apollo rei.
Ibis, Deliaca frontem redimite corona,
  Doctrinæ & partas ter cumulabis opes.
Ecce, Machaoniis celebrata Lutetia curis
  Inſignes offert artis honore viros.
Urbis delicias illic, & mollia ſpernes
  Otia, quîs fracti femina virque jacent.
Sed, ſanctos ſervans caſto moderamine mores,
  Mens Tua conſuetum ſedula perget iter.
Per Te, per Socios, populo parebit in illo
  Antiquus Batavæ ſimplicitatis honor.
Quum modo Te libris fixum, modo mente ſagaci
  Naturæ videant abdita quæque ſequi:
Et modo neglectis validum medicamen in herbis
  Impigra quærens conſpiciere manu;
Humanique modo demirans corporis omnem
  Structuram, artificis nobilioris opus;
Et modo per nervos cupies, per & oſſa vagari;
  Et modo per varias ſanguinis ire vias.
Artibus his dudum tradis Tua nomina Famæ:
  Inde Tuos crines jam nova laurus habet.
Inde, ubi dives opum patrias converſus ad oras
  Gaudebis notos ipſe videre lares;
Tunc, quæ nunc primam confert Academia laudem,
  Conſpicuo illuſtrem munere grata colet:
Virtutemque Patris memorans, Patruique, Tuamque,
  ROYENUM Mater diliget Alma decus.
Tunc iterum, ſi fata mihi modo proſpera currant,
  Cantabit dotes noſtra Thalia Tuas.
Adſurgetque Tuis meritis Leidana juventus,
  Et conſanguinei Stemmatis alta Domus.
Frater & ipſe, Tibi nimium juvenilibus annis
  Ereptus, tacito plaudet ab Elyſio.
Hæc ego vaticinor: ſiam non vanus aruſpex:
  Numina dent, omen pondus habere ſuum.
Jamque vale, ROYENE, vale: & quodcumque futurum eſt,
  Hoc vile a me noſtri pignus amoris habe.

CORNELIUS VAN OUDENDORP, FR. F.